HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ SCHEMATA SCHOLASTICA

Fasc. I

U. BENIGNI et G. BRUNNER

# DE ROMANÆ ECCLESIÆ EXORDIIS

## FONTES HISTORICI

### LATINE REDACTI VEL REDDITI




MISCELLANEA
DI STORIA E CULTURA ECCLESIASTICA
ROMA
*113, corso Umberto I*
1907.

23101

IMPRIMATUR

Fr. Albertus Lepidi O. P., S. P. A. Magister.

Josephus Ceppetelli, Patriarch. Constant., Vicesgerens.

# INDEX


I. — Synopsis chronologica . . . . . pag. 3
II. — De R. E. indiciis praeneronianis . . . . . » 5
*A.* Primi romani christiani . . . . . » »
*B.* Legenda tiberiana . . . . . » »
*C.* Petri primum iter romanum . . . . . » 10
*D.* Judaeorum ab Urbe expulsio claudiana . . . . . » 14
III. — De R. E. indiciis neronianis . . . . . » 17
De Pomponiae Graecinae causa . . . . . » »
IV. — De Pauli actis romanis . . . . . » 20
*A.* Pauli epistola ad Romanos . . . . . » »
*B.* Pauli adventus et commoratio in Urbe . . . . . » 32
*C.* Pauli epistolae romanae . . . . . » 35
V. — De neroniana persecutione . . . . . » 48
VI. — De Petri romano apostolatu et pontificatu. . . . . » 55
VII. — De Petri et Pauli martyrio romano . . . . . » 66
VIII. — De quibusdam Petri et Pauli legendis romanis . . . . . » 70
*A.* De Petro et Simone Mago . . . . . » »
*B.* De Petri fuga. . . . . » 72
*C.* De Paulo et Seneca . . . . . » 73
IX. — Notae bibliographicae . . . . . » 75

# ERRATA CORRIGE

Pag. 12, linea 25: *periodus* « Notandum .. erigeretur » *supprimatur.*
» 12, l. 30: esset - est
» 16, l. 1: hoec - echo
» 20, l. ult : *xi* - *xv*
» 47, l. 12: Apostolis - Apostoli
» 48, l. 1: III - V
» 48, I. 14: iudicio - indicio
» 49, nota 1, l. 1: peccatorum - persecutorum
» 50, l. 32: humanum - humanum genus
» 51, l. 8: humanitati - humanitatem
» 51, l. 15: afficti - afflicti
» 52, l. 6: Scapulum - Scapulam
» 55, l. 12 tum - tus
» 56, l. 18: ed - et
» 60, l. 4; xivi - xvii
» 60, l. 17: 320 - 314
» 66, l. 18: IV - VII.
» 70, l. 2: 65 et - 65 et 67
» 71, l. 19: se esse - esse
» 75, l. 20: lymitanos. - lymitanos
» 75, l. 22: quae - qua; scriptorum - scriptorem
» 75, l. 26: XI - IX
» 75, l. 28: *allgemeine* - *allgemeinen*
» 76, l. 4: Paris - Paris 1886

# HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

## SCHEMATA SCHOLASTICA

In disciplinis de re theologicà tradendis quantopere ad excultiorem tironum humanitatem studia circa historicos fontes pertineant, iam cuique perspicuum arbitramur. Ex quo factum est ut exercitationes huiusmodi apud nostros studiorum coetus sive per cotidianas doctorum scholas, sive per virorum eruditorum conventus habitae sive etiam aliâ quadam ratione expletae magis et magis in consuetudinem veniant et progrediantur.

Verum quo facilius exercitationibus quas diximus conveniens materies, opportuniore quo fieri possit modo, praesto sit, haud dubie optima erunt exigua ac varia commentaria, quae cotidiano usu « enchiridia » vocamus, copiosam breviorum fontium collectionem de quadam quaestione magni ponderis exhibentia.

His ducti rationibus haec « *scholastica schemata* », de eorundem utilitate atque de benevolentia lectorum confisi, in historicis de Ecclesia exercitationibus adhibenda paravimus.

*Romae* H. B. et G. B.

I.

# DE ROMANÆ ECCLESIÆ EXORDIIS

## FONTES HISTORICI

### latine redacti vel reddiți

## I. Synopsis chronologica.

A. D. 14 - 37 — **Tiberius** Claudius Nero imp.

37 - 41 **Gaius** Caesar Germanicus Caligula imp. — Primi ethnici a Petro in Ecclesiam recepti (*Act. Ap.*, x, xi).

41 - 54 — Tiberius **Claudius** Drusus Nero Germanicus imp. — Prioribus Claudii annis, Romae primi christiani — Circa A. D. 42: Petrus ab hierosolymitano carcere liberatus, « abiit in alium locum » (*Act.* xii. 17). Sub Claudio (Eusebius, H. E.), secundo Claudii anno (Euseb. Chron. iuxta Hieronym.) Petri primum romanum iter? — Sub Claudii fine, « iudaei impulsore Chresto assidue tumultuantes » (Suetonius) ab Urbe expulsi; Petrus ab Urbe discedit?

54 - 58 — Tiberius Claudius **Nero** imp. — Prioribus Neronis annis, judaeorum romanus reditus; alterum Petri romanum iter? — Circa a. 57, Romae « Pomponia Graecina, nobilis femina, superstitionis externae rea, mariti iudicio commissa » (Tacitus) insons iudicatur — Circa a 56 - 62 (ante a. 57 Holtzmann et Harnack, ante 60 Ramsay, ante 61 Lightfoot, 59 Cornely) Pauli ad Romanos epistola - 57 - 63 (57 Harnack, 60 Ramsay, 61 Lightfoot, 62 Cornely) Hierosolymae Paulus in vinculis coniectus, ad caesarem appellans, Romam ducitur et verno tempore pervenit: ibi evangelium libere praedicat (*Act.* xxv, xxvi) Mense iunio exeunte, incendium Urbis neronianum. A. 64 - 65, neronianae persecutionis initia; christiani teterrimis suppliciis affecti. A. 64 - 67, Petri Paulique romanum martyrium.

68 - 69 — Servius Sulpicius **Galba** 68 - 69; Marcus Salvius **Otho** 69, Aulus **Vitellius** Germanicus 69, impp. — Neronianae persecutionis finis, Ecclesiae Romanae pax restituta.

69 - 96 — Titus Flavius Sabinus **Vespasianus** 69 - 79, **Titus** Flavius Vespasianus 79 - 81, Titus Flavius **Domitianus** 81 - 96 impp. — Flaviorum tempore usque ad domitianeam persecutionem, Romana Ecclesia pace fruitur et dilatatur ; nobiliores quidam christiani (Flavii, Graecini, Acilii) — Circa a. 90 - 96, Domitiani persecutio contra christianos, ab ipso imperatore « repressa, revocatis etiam quos **relegaverat** » (Tertullianus). Usque ad hanc persecutionem, christianismus a paganis uti mera iudaica secta consideratus, ex eadem persecutione recognitus uti a iudaismo plene distinctus.

96 - 117 — Marcus Cocceius **Nerva** 96 - 98, Marcus Ulpius **Traianus** 98 - 117 impp. — Ultimis prioris saeculi christiani annis, Ecclesia Romana in pace. Clemens Romanus floret ; circa a. 97 eius epistola Ecclesiae Romanae ad corinthiorum Ecclesiam.

## II. De Romanae Ecclesiae indiciis praeneronianis.

(*A*) *Primi romani christiani* — (*B*) *Legenda tiberiana* — (*C*) *Petri primum iter romanum* — (*D*) *Iudaeorum ab Urbe expulsio claudiana.*

### A. *Primi romani christiani.*

1. *Actus Apostolorum*, ii. 7-10 : « [Auditis Apostolis praedicantibus et per varias linguas loquentibus in die Pentecostes] 7. Stupebant autem omnes et mirabantur dicentes : nonne ecce omnes isti qui loquuntur, galilaei sunt ? — 8. Et quomodo nos audivimus unusquisque linguam nostram in qua nati sumus ; — 9. parthi et medi et elamitae et qui habitant Mesopotamiam, Iudaeam et Cappadociam, Pontum et Asiam, — 10. Phrygiam et Pamphyliam, Aegyptum et partes Lybiae quae est circa Cyrenen et advenae romani (1), — 11. judaei quoque et proselyti, cretes et arabes, audivimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei ».

2. Notanda. — Ex hac populorum regionumque enumeratione deducitur quod heic sub « romanorum » nomine intelliguntur non Urbis incolae tantum sed et omnes occidentales promiscue ; quia cum orientalis mundus tum hellenus, tum hellenizatus et etiam extraromanus (parthi et aelamitae) per varias regiones distinguatur, de toto occidente europaeo-africano nihil dicitur nisi « advenae romani ». Hinc ex hoc *Actorum* commate deduci non potest quod certe tunc inter Apostolorum auditores exstiterint incolae Urbis (qui inde primi christiani romani esse potuerunt) ; sicut, ex alia parte, nil facilius quod inter illos auditores de facto habitatores Romae invenirentur ac primitias romanorum christianorum constituerent.

### B. *Legenda tiberiana.*

3. Tertullianus (II-III saec.) in *Apologetico*, xxi : « Ea omnia [gesta Jesu Christi] super Christo Pilatus, et ipse iam pro suâ conscientiâ christianus (2), caesari tunc Tiberio nunciavit ».

---

(1) οἱ ἐπιδημοῦντες Ῥωμαῖοι : advenae, illi qui sunt in extraneâ regione.

(2) Scil. quod ipse agnoverat christianismi veritatem ex miraculis quae Christi mortem comitata erant.

4. Idem ibidem, v: « Tiberius ergo, cuius tempore nomen christianum in saeculum introivit, annunciatum sibi (1) ex Syriâ Palaestinâ quod illic veritatem ipsius divinitatis revelaverat, detulit ad senatum cum praerogativa suffragii sui (2). Senatus, quia non ipse probaverat, respuit; caesar in suâ sententiâ mansit, comminatus periculum accusatoribus christianorum » (3).

5. Eusebius (III-IV saec.) in *Hist. Eccl.*, II. ii, praedictam Tertulliani narrationem refert, ipsum Tertullianum citans. — In Eusebii *Chronico*, II, ad annum 28^um^ Tiberii, juxta latinam Hieronymi versionem: « Pilato de christianorum dogmate ad Tiberium referente, Tiberius retulit ad senatum ut inter cetera sacra reciperetur. Verum cum ex consulto patrum (4) christianos eliminari Urbe placuisset. Tiberius per edictum accusatoribus christianorum comminatus est mortem. Scribit Tertullianus in Apologetico ».

6. Orosius (IV-V saec.) in suis *Historiis contra paganos*, VII. iv: « Postquam passus est Dominus Christus atque a mortuis resurrexit et discipulos suos ad praedicandum dimisit, Pilatus

---

(1) A Pilato, ut supra.

(2) Ad senatum detulit quia quaestiones religiosae senatui pertinebant. — « Praerogativa suffragii » erat ius votum edendi ante ceteros omnes: ita ut in romanae rei publicae comitiis appellaretur praerogativa illa centuria quae prima ad votum edendum designabatur. In praxi, talis praerogativa erat maximi ponderis quia saepe reliquae centuriae ad instar prioris emittebant votum (cfr. Cicero, *Mur.* xviii; *Div.* I. 45; Livius, XXIV. vii, XXVI. xxii). Imperiali tempore, imperator uti « princeps » senatûs, edebat primus votum quod evidenter maximo in senatoriale votum influxu pollere debebat. Sic Tert. ait quod Tiberius ad senatum detulit quaestionem de Christi divinitate recognoscendâ, edicens primus suum votum affirmativum ut hoc ad senatorum favorabile christianismo votum obtinendum influeret.

(3) Non obstante senatûs reprobatione, Tiberius mansit christianis favorabilis: hinc, cum christianismi approbationem per senatoriale decretum non obtinuisset, saltem voluit christianos per generales leges defendere: et accusatoribus christianorum comminatus est caussam (periculum) quae instituebatur contra calumniatores in re poenali. Ex lege Remmiâ, talis calumniator puniebatur per stigma litterae K in eius fronte, candescente ferro, impressum.

(4) Senatorum (patrum conscriptorum).

praeses Palaestinae provinciae ad Tiberium imperatorem atque ad senatum retulit de passione et resurrectione Christi consequentibusque virtutibus (1) quae vel per ipsum palam factae fuerant vel per discipulos ipsius in nomine eius fiebant, et de eo quod certatim crescente plurimorum fide deus crederetur. Tiberius cum suffragio magni favoris retulit ad senatum ut Christus deus haberetur. Senatus indignatione motus quod non sibi prius, secundum morem, delatum esset ut de suscipiendo cultu prius ipse decerneret, consecrationem (2) Christi recusavit: edictoque constituit exterminandos esse Urbe christianos; praecipue cum Seianus praefectus Tiberii suscipiendae religioni obstinatissime contradiceret. Tiberius tamen edicto accusatoribus christianorum mortem comminatus est ».

7. Notanda. — Quod Eusebius (Hieronymus) et Orosius notitiam e Tertulliano tantum mutuarint, arguendum videtur ex hoc quod hi auctores, carthaginiensi presbytero posteriores, narrationem ex illo desumptam aperte fatentur vel eius nomen citantes, vel eius verba prorsus mutuantes. Sunt quidem in ipsis quaedam notitiae quae in Tertulliano non reperiuntur (senatûsconsultum ad christianos Urbe expellendos ; Seianus christianis infensus), sed ipsae aperte personales eorumdem auctorum deductiones vel amplificationes videntur. Etenim, quoad senatûsconsultum pro christianorum expulsione, facile Hieronymus (3) et Orosius hoc deduxerunt ex vulgatis notitiis tum de Tiberio judaeis favente (4) tum de expulsione proselytorum isiacorum et judaicorum tunc a senatu

(1) Miraculis.

(2) Apotheosin, receptionem in deorum numerum.

(3) Eusebius, in *Hist Eccl.*, Tertullianum simpliciter refert, nihil loquens circa senatûsconsultum de christianis expellendis : etiam in documento cui titulus *Chronicon Paschale* (saec. VII) notitia legendae tiberianae quae ab Eusebio videtur derivata, tacet de praedicto senatusconsulto. Ergo deducendum est quod comma illud « Verum cum ex consulto patrum christianos eliminari Urbe placuisset » potius Hieronymo quam Eusebio tribuendum sit.

(4) De Tiberio judaeis favente cfr. Josephum Flavium, *Antiquit. jud.* XVI. ii. 3 5 et vi, qui refert Tiberii decretum privilegia iudaeorum confirmans eorumque fidelitatem laudans (XVI. vi .

peractà (1): quoad vero Seianum, Orosius eum tali in negotio immiscuit ex infami memoriâ Seiani cui omnia fere Tiberii crimina iam a populari traditione tribuebantur. — Igitur Eusebii (Hieronymi) et Orosii notitia ex eàdem tertullianeà fonte dimanare, saltem moraliter certum est. — Ex quanam autem fonte notitiam Tertullianus hauserit, reperiri nequit ; probabilissime ex iam orali vulgarique traditione christianà illam mutuavit.

8. Quid sentiendum sit de tiberianae legendae veritate, his breviter expendi potest.

Quoad Pilati relationem ad caesarem, eam testabatur iam Justinus (martyr circa a. 165) in suà I *Apologia*, xxxv ss.; et tam firma fuit circa ipsam traditio ut circa III saeculi finem *Acta Pilati* eiusque *epistolae*, documenta apocrypha conficerentur (relata a Thilo, *Codex apocr. Novi Testamenti* ; Tischendorf, *Evang. apocr.*, etc). Hoc tantum statui potest quod haud mirum esset si de facto Pilatus circa Jesu Christi causam et supplicium caesari et senatui relationem misisset, cum de causà politicà, iuxta calumniatores hebraeos, ageretur « Scripsit autem et *titulum* Pilatus et posuit super crucem ; erat autem scriptum : Jesus Nazarenus *rex iudaeorum* » ; *Johan.*, xix, 19) in qua quaestio de fidelitate erga caesarem et Romam exagitata fuerat (*Luc.* xxiii, 2 ; *Johan.* xix. 12. 15).

Si talis Pilati « relatio » revera exstitit, eius notitia pervenire potuit ad christianos inter quos, processu temporis, deformata et amplificata originem apocryphorum documentorum dedit.

Quoad Tiberium christianis faventem, notitia indubie falsa videtur : — (a) christianismus ipse tam innotescere Tiberio non potuit ut de eo tam gravem quaestionem senatui proposuisset — (b) teste Suetonio (*Tiberius*, lxix) Tiberius fuit circa deos ac religiones negligentior — (c) si (politico intuitu) iudaeis favorabilis fuit, et christianis uti talibus faveus esse non potuit, cum a veris iudaeis quammaxime semper et ubique isti insectarentur et uti imperii perturbatores accusarentur — (d) de cetero, neque in Tiberii indole neque in temporis adiunctis esse potuit talis de Christo inter caesarem et senatum contentio ; senatus vilissime caesari

(1) Tacitus, *Annal.* II. lxxxv. « Actum et de sacris [ritibus] aegyptiis iudaicisque pellendis ; factumque patrum consultum ut IV milia libertini generis libertinorum ea superstitione infecta scil. proselyti isiaci vel judaici] quis idonea aetas, in insulam Sardiniam veherentur . . . ceteri cederent Italiâ nisi certam ante diem profanos ritus exuissent ». Notandum quod, a Julii Caesaris tempore, iudaeis imperatores faventes, senatus ac nobiles infensi fere semper fuerunt.

semper obediens (cfr. Tacitus passim) taliter Tiberio non restitisset ; nec imperator tam firmo animo christianos defendisset — (e) si res iuxta tiberianam legendam se habuisset, de ea tiberiani biographi non tacuissent, praesertim Tacitus (1) et Suetonius, Tiberio infensissimi nullumque factum in huius dedecus aptum (uti christianorum protectio, juxta illos auctores, fuisset) tacentes.

9. Tandem quaerendum est quomodo tiberiana legenda exoriri potuit. — Ex praecitatis vidimus quod Tiberius fuit iudaeis eorumque proselytis tam favorabilis ut senatus iisdem infensus fuit. Per analogiam talis rerum conditio potuit iam opportunum substratum pro legenda illâ exstruendâ praebere. Cum vero, saeculo II, post Flaviorum et Antoninorum (praesertim Commodi) imperium, christianis iam ex experientiâ pateret imperatores sibi haud raro favorabiles esse, e contra senatum ipsis implacabili animadversione contrarium, haec antithesis ad primum historiae christianae momentum retrocessa in commentitiam Tiberii Christo christianisque faventis ac senatûs hostilis fabulam concessit. In tertullianeâ tiberianae legendae expositione patens est ulterioris temporis vestigium : notum est quod, Commodo imperante, senator Apollonius uti christianus a quodam suo servo coram Perennis praefecti tribunali accusatus est ; et Perennis, imperialis minister, Apollonium salvare cupiens eum detulit ad senatum sperans quod senatores collegam punire renuissent ; cum vero Apollonius ad mortem a senatu damnatus esset, Perennis eius mortem saltem vindicare voluit, servoque accusatori poenam mortis

---

1 De Tacito quidem observandum est quod maxima quinti libri *Annalium* pars deperdita est in qua Tiberii historia narrabatur : igitur silentium Taciti de tiberianâ legendâ materialiter statui nequit. Sed ea quae de Tiberio Tacitus scripsit et quae ad nos pervenerunt, probabilissime rem continuissent si a Tacito descripta foret. Insuper, Tacitum Tertullianus saltem indirecte pro eâ re citasset, sicut et alios auctores si exstitissent, cum eos indiscriminatim, statim postea, citet ; ipse enim, postquam ex se et sine ullâ fontium citatione legendam tiberianam retulisset, sic de neronianâ persecutione confestim prosequitur : « (... comminatus periculum accusatoribus christianorum.) Consulite commentarios vestros : illic reperietis primum Neronem in hanc sectam cum maxime Romae orientem caesariano gladio ferocisse » (*Apolog.*, v). Tertulliani mos polemicus est documenta citare pagana quando illi praesto erant ; sic de solis obscuratione in Christi morte ait : « eum mundi casum relatum in arcanis vestris habetis » (ibid. xxi). — Igitur concludi de Taciti silentio potest.

per crurifragium (servis dominorum suorum accusatoribus a romanâ lege decretam) applicavit (cfr. Eusebius, *Hist. Eccl.*, V. xxi). Ergo videtur heic illa popularis deformatio historiae adesse quae « archaeosis » vocatur, estque indebita retrocessio alicuius historici phaenomeni usque ad initia illius rerum conditionis ex cuius maturâ evolutione phaenomenon illud posterius accidit (1).

### C *Petri primum iter romanum.*

10. Eusebius (*Hist Eccles.*, II, xiii et xiv) loquitur de Simone Mago qui Romam ad suos errores diffundendos perrexit; et ad hoc citat testes tum Justinum (qui Simonis Magi romanum adventum ponit sub Claudii principatu) tum Irenaeum. Ac deinde prosequitur (xiv): « Confestim enim ipsis Claudii Augusti temporibus (2) benigna et clementissima Dei providentia fortissimum et maximum inter Apostolos Petrum et virtutis merito reliquorum omnium principem ac patronum, Romam adversus illam generis humani labem ac pestem (3) perducit. Igitur cum Dei doctrina adventu suo romanos illustrasset (4), Simonis Magi vis ac potentia cum ipso simul auctore brevi exstincta atque deleta est. Tantus autem veritatis fulgor emicuit mentibus eorum qui Petrum audierant, ut parum haberent semel audisse... sed Marcum Petri sectatorem... enixe orarent ut doctrinae illius... scriptum aliquod monumentum apud se relinqueret. Neque prius destiterunt quam hominem expugnassent, auctoresque scribendi illius quod secundum Marcum dicitur Evangelii exstitissent. Quod cum Petrus per revelationem s. Spiritûs cognovisset, delectatus ardenti hominum studio, librum illum auctoritate sua comprobasse dicitur, ut deinceps in ecclesiis legeretur. Refertur id a Clemente (5) in VI Institutionum libro. Cui testis etiam accedit Papias hiera-

(1) Sic imperialis confirmatio Dominii Temporalis pontificii retrocessa fuit ad primum imperatorem christianum Constantinum, cum ipsa nonnisi maturis temporibus carolingicis) evenisset et evenire potuisset— Sic in inferiori medioaevo plura quae posterius evenerant, primo mediaevali imperatori Carolo Magno tributa fuerunt ; etc.

(2) ἐπὶ τῆς βασιλείας τοῦ Κλαυδίου. (3) Simonem Magum. (4) Petrus. (5) Clemente Alex., *Hypotypos.*, VI.

politanus episcopus. Porro Marci mentionem fieri aiunt a Petro in I Epistola quam Romae scriptam esse contendunt; idque Petrum ipsum innuere qui Romam figurate Babylonem appellat his verbis: Salutat vos ecclesia quae est Babylone coëlecta ». — Ibid., xvii: « Quem quidem Philonem fama est, Claudii Augusti temporibus, Romae cum Petro qui verbum Dei illic praedicabat, familiarem congressum (1) habuisse ».

11. Eusebii *Chronicon* in versione armenâ (Migne P. G., XIX, 539) ad annum 3 imp. Caii (2). « Petrus Apostolus cum primum Antiochenam ecclesiam fundasset, Romam mittitur; ibique evangelium praedicans. XXV annis eiusdem urbis episcopus perseverat ». — In Hieronymi versione ad annum 2 imp. Claudii (3): « Petrus Apostolus natione galilaeus, christianorum pontifex primus, cum primum antiochenam ecclesiam fundasset, Romam proficiscitur ubi evangelium praedicans, XXV annis urbis episcopus perseverat ».

12. Hieronymus, *De viris illustr.*, i: « Petrus Apostolus.... post episcopatum antiochensis ecclesiae et praedicationem dispersionis eorum qui de circumcisione crediderant (4) in Ponto Galatiâ Cappadociâ et Asiâ et Bithyniâ, secundo Claudii anno (5) ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit; ibique XXV annis cathedram sacerdotalem tenuit usque ad ultimum annum Neronis, id est quartum decimum ».

13. Orosius (*Hist.*, VII, vi): « Exordio regni Claudii Petrus... Romam venit et salutarem cunctis credentibus fidem fideli verbo docuit potentissimisque virtutibus comprobavit; atque exinde christiani Romae esse coeperunt ».

14. Notanda. — (a) Huic traditioni connectitur a quibusdam comma illud *Actuum App.*, quo de Petro ab Herodis vinculis liberato dicitur: « abiit in alium locum » (6). (xii. 17). — (b) Traditio de Petri romano itinere ante Neronis principatum, perantiqua est deditque basim traditionis item antiquissimae de XXV annis pontificatûs romani Petro tributis.

(1) δμιλίαν. (2) Caii Caligulae; A. D. 40. (3) A. D. 42. (4) Dispersio seu diaspora iudaica. (5) A. D. 42. (6) ἐπορεύθη εἰς ἕτερον τόπον.

– (c) Praedicti fontes dissentiunt inter Caii Caligulae vel Claudii tempus. Notandum quod Eusebius loquens de commercio Philonis cum Petro, supponit hunc Romam Caii tempore iam advenisse, quia Philo, uti notum est, Urbem adivit iudaeorum orator ut a Caio impetraretur ne huius statua in hierosolymitano templo erigeretur. Attamen traditio romana (cuius Hieronymus testis est) aperte, cum expressis Eusebii verbis, Claudii tempus testatur, et quidem annum secundum. Ad hunc annum reduci potest etiam Orosius qui adventum Petri « exordio » Claudii assignans, prosequitur enarrans Furii Camilli Scriboniani in Dalmatiâ legati (1) rebellionem gravissimam et miro sane modo repressam : atque de tali insperatâ rebellionis fine sic disserit : « Itaque propter adventum Apostoli Petri et tenera christianorum germina vixdum adhuc pauca ad sanctae fidei professionem erumpentia hanc exorientem [Scriboniani tyrannidem et consurgens istuc civile bellum neget quisquam divinitus esse compressum ? » Haec vero dalmatica rebellio altero Claudii anno evenit (2 : ideoque et adventus Petri romanus illi circiter anno ab Orosio assignatur. — De cetero, distinguendum est, quoad similes traditiones, inter vim notitiae generalis et vim circumstantiarum eius : nam circumstantiae facile possunt deinde adiungi per notissimam popularium traditionum evolutionem dilatativam et amplificativam. Unde aliud est traditio quod Petrus ante Neronis principatum Romam venit, et aliud quod illuc propter Simonem Magum perrexisset, cum Philone congressus esset, Simonem devicerit etc.; notum est enim quod una ex communissimis formis popularis deformationis historicae est conversatio quorumdam celebrium virorum qui eodem tempore vixerunt : conversatio quidem quae nullo modo vel saltem non prouti narratur evenit (3).

15. (d) Quidquid vero sit de anno ingressûs Petri in Urbem, Apostoli romana commoratio perdurare ininterrupta usque ad eius mortem non potuit : nam non solum Petrus unâ cum ceteris judaeis claudianam expulsionem (de quâ infrà) passus esset, sed certe ipse hierosolymitano Apostolorum concilio, circa A. D. 51 habito, interfuit (*Act. App.* xv. 1-24 ; cfr. *Galat.*, ii. 1-10)

---

(1) Cfr. Suetonius, *Claud.*, xiii.

(2) Cfr Hertzberg, *La storia dell' imp. rom.*, l. I, p. 257.

(3) Typicum exemplum de visitatione s. Ludovici IX Franciae regis et s. Francisci Assisiensis, a medioevali legendâ plene asserta, cum e contra neuter alterum unquam viderit. Cf. etiam epistolarium inter Paulum Ap. et Senecam perperam iam assertum.

16. (e) Ex praedictis satis luculenter eruitur primos christianos Romae saltem ultimis Cai aut prioribus Claudii annis exstitisse etiam ante Petri primum adventum. Nam ut patet, in principalioribus urbibus in quibus continuus et ingens extraneorum commeatus habebatur, nil facilius quam aliqui iudaei vel proselyti in Christo credentes adfuissent; unde ex ipsis eorumque sodalibus per ipsos ad Christum conversis quidam christianus nucleus aut « ecclesia domestica » haberetur absque hierarchiâ ecclesiasticâ, quam Apostolus vel apostolicus vir superveniens instituebat ecclesiamque proprie dictam fundabat. Hinc patet quod quando Petrus dicitur romanam ecclesiam fundasse et sic similiter de aliis Apostolis vel apostolicis viris quoad respectivas ecclesias, non asseritur ex hoc quod antea ibidem christianus nullus vel etiam nullus nucleus christianus exstiterit. Hoc praesertim Romae evenire potuit quo iudaeorum ceterorumque orientalium (inter quos multi iudaici proselytae erant) maximus confluxus aderat, uti ex illius temporis classicis auctoribus diffuse constat.

17. — Contra perantiquam ac diffusam traditionem iuxta quam Petrus Romae praedicavit antequam Paulus ad romanos epistolam scriberet, aliqui (Godet, *Comment. sur l' Epître aux Romains,* I p. 86; *Introd. au N. Test.*, p. 434; Oltremare, *Com. sur l' Ep. aux Rom.*, I p. 84; etc.) citant illum anonymum auctorem (juxta aliquos, Hilarium romanum sub Damaso pontifice diaconum, ?) qui uti « Ambrosiaster » in modernâ ecclesiasticâ litteraturâ innotuit.

Ambrosiaster (*Com. in Ep. ad Rom.*, prol.) (1): « Constat itaque temporibus Apostolorum iudaeos, propterea quod sub regno romano agerent, Romae habitasse: ex quibus hi qui crediderunt (2), tradiderunt romanis (3) ut, Christum profitentes, Legem servarent (4). Romani autem auditâ famâ virtutum Christi, faciles ad credendum fuerunt, utpote prudentes; nec immerito prudentes, qui, male inducti, statim correcti sunt et permanserunt in eo (5). — Hi ex iudaeis... credentes in Christo, non accipiebant Deum esse de Deo, putantes uni Deo ad-

(1) Migne P. L., XVII, 45 - (2) Crediderunt Christo: nempe iudaeo-christiani — (3) Romanis proselytis (4) Scil. ut et ipsi iudaeo-christianismum servarent.

(5) Isti romani, iam proselyti iudaici et tunc (bonâ fide) iudaeo-christiani, statim ac correcti fuerunt a Paulo (per epistolam ad romanos) errores iudaizantium reliquerunt.

versum (1); quamobrem negat (2) illos spiritualem Dei gratiam consecutos ac per hoc confirmationem eis deesse. Hi sunt qui et Galatas subverterant... quibus ideo irascitur Apostolus quia, docti bene, facile transducti fuerant (3). Romanis autem irasci non debuit, sed et laudare fidem illorum quia, nulla insignia virtutum videntes nec aliquem Apostolorum, susceperant fidem Christi ritu licet iudaico, in verbis potius quam in sensu ; nec enim expositum illis fuerat mysterium crucis Christi. Propterea, quibusdam advenientibus qui recte crediderant de edendâ carne et non edendâ, quaestiones fiebant etc. ».

Illi qui Ambrosiastrum taliter loquentem obiiciunt, eum utpote romanum (?) clericum IV saeculi (?), quasi verioris romanae traditionis testem inducunt. Sed brevis praecitati textûs examinatio aequanimis sufficit ad cognoscendum quod Ambrosiaster marte suo ea omnia composuit deducens ex quadam suâ Epistolae ad Romanos paulinae interpretatione.

Quod ex praedictâ suâ aequivocatione et non ex traditione suas deductiones pseudohistoricas Ambrosiaster hauserit, patet etiam ex eius verbis, cum ipse citet traditionem (« constat ») de facto certe historico quod iudaei Romae subiecti ad Urbem confluxerint ; pro ceteris vero ab ipso Ambrosiastro assertis nec ad fontes scriptos nec ad traditionem innuit, sed tantum super Epistolae ad Romanos paulinae (indebitâ) suâ exegesi insistit. De cetero, quomodo Hilarius (?) uti verioris romanae traditionis testis honeste praesentari potest, cum Eusebii, Hieronymi, Orosii testimonia perantiquam Orientis Occidentis Urbisque ipsius traditionem indubie offerant ?

### D. *Iudaeorum ab Urbe expulsio claudiana.*

18. Suetonius († circa A. D. 160) in caesarum vitâ (*Claudius*, XXV) : « (Claudius) iudaeos, impulsore Chresto assidue tumultuantes, Româ expulit ».

19. Orosius, *Histor.*, VII. VI : « Anno eiusdem [Claudii]

(1) Iudaizantes ebionitae (prae-ariani) Verbum esse Deum negabant putantes quod monotheismus ita tantum servari poterat — (2) Paulus. — (3) « O insensati Galatae, quis vos fascinavit ? » Paulus *ad Gal.*, iii. 1.

nono (1) expulsos per Claudium Urbe iudaeos Josephus (2) refert; sed me magis Suetonius (3) movet qui ait hoc modo : Claudius iudaeos impulsore Chresto assidue tumultuantes Româ expulit. Quod utrum contra Christum tumultuantes iudaeos coërceri et comprimi iusserit, an etiam christianos simul, velut cognatae religionis homines, voluerit expelli, nequaquam discernitur. Verumtamen sequenti anno tanta fames Romae fuit, ut medio foro imperator correptus a populo... aeger... evaserit ».

20. Cfr. *Actus App.*, xviii. 2-3 de Paulo Ap. qui venerat Corinthum : « Et inveniens quemdam iudaeum nomine Aquilam, ponticum genere, qui nuper venerat ab Italiâ, et Priscillam uxorem eius (eo quod praecepisset Claudius discedere omnes iudaeos a Româ) accessit ad eos; — et quia eiusdem erat artis, manebat apud eos et operabatur (erat autem scenofactoriae artis) ».

21. Notanda. — (a) Communiter praecitatus Suetonii locus hoc sensu accipitur, quod iudaeo-christiani in romanâ synagogâ de die in diem numerosiores, Christum uti Messiam fratribus praedicarent, et synagogam christianizandam esse contenderent ; unde tumultuosae discussiones acresque dissensiones exoriri debebant, cum a plerisque Jesus Nazarenus impugnaretur eâdem prorsus mente iisdemque circumstantiis quibus hoc Hierosolymis evenerat.

Quae dissensiones cito in acrius dissidium converti debebant, quando de excommunicandis et expellendis fratribus Jesum Christum confitentibus actum est. Etenim judaeo-christiani de Synagoga ita sentiebant ut ea, Christi fide assumptâ, naturaliter Ecclesia ipsa fieri deberet, permanentibus ritibus et moribus hebraicis; unde ipsi expulsionem a synagogâ indigne ferre debebant ; et contra hanc iniuriam tenaciter dimicare, resistentibus contra illos judaeis antichristianis, odio exardescente exagitatis uti jam Hierosolymis (Stephani morte et Apostolorum oppressione testante) contigerat. En graves et « assidui » tumultus ad quos reprimendos Claudius, radicali provisione occurrens, judaeos Româ expulit.

---

(1) A. D. 49.
(2) Iosephus Flavius, loco nunc deperdito.
(3) vide supra.

Verba Suetonii christianis infensa (*impulsore* Chresto) quaedam hoec iudaicae calumniae esse videntur. Nil enim credibilius quam quod, interveniente romano magistratu ad tumultus compescendos, iudaeorum maior pars magno clamore se innocentem conclamaret et « haereticos » nazarenos uti novae exagitationis causam indigitarent. Cum revera de Christo *quaestio* esset, facile a paganis Christus uti *causa* quaestionis, inde uti tumultûs causa impellens, haberetur : « impulsore Chresto ». His admissis, plene suetonianus locus explicatur ; e contra, haud facile intelligeretur (verbis illis materialiter sumptis) quomodo quidam iudaeus nomine Chrestus tot tantosque tumultus excitaret, cum de quodam Chresto Romae exagitatore nulla prorsus memoria habeatur.

22. (b) Nec officit contra christianam interpretationem forma illa nominis « Chrestus » pro Christo, cum notum sit paganos saepe « Chrestum » et « chrestianos » dixisse, tum ex confusione inter χριστὸς et χρηστός tum ex idiotismo (1) quo vocales confunduntur. Alii objiciunt quod, cum de neronianâ persecutione alloquitur, Suetonius christianos recte nominat (« afflicti suppliciis christiani » : *Ner.*, xvi) ; ergo si in claudianâ iudaeorum expulsione ad ipsos allusisset, eos eodem modo aperte nominasset. Respondendum sane est quod revera Suetonius, post Neronis mortem natus et saeculo post Claudium defunctus, ex actibus et chronicis antecedentibus notitias illas sumpsit, absque criticâ discussione et comparatione sed per modum epitomes biographicae. Ergo differentia inter « Chrestum » claudianum et « christianos » neronianos, non Suetonio sed eius fontibus attribuenda est. Igitur in facti specie Suetonius est simplex actorum officialium necnon publicae opinionis repetitor : quae quidem acta et opinio lentissime de christianis notionem habuerunt, ita ut etiam Domitiani tempore christifideles quamdam iudaicam sectam reputarent. Hinc naturaliter factum est quod τὸ « impulsore Chresto » obscuram maximeque confusam de christianis notionem apud paganos tempore Claudii, et τὸ « christiani » exactam saltem de nomine et subsistentiâ nostrae religionis notionem apud eosdem, neroniano tempore, demonstrarent.

23. (c) Quod etiam christiani iudaico sanguine oriundi unà cum iudaeis antichristianis, a Claudio expulsi sint, nullum dubium : tunc enim uti « iudaei » habebantur illi qui iudaicâ origine orti iudaicam

---

(1) Sic in neogallicâ lingua christianus « chrestien » (chrétien) dictus est.

fidem profitebantur, ideoque iudaei christiani (praesertim illi priores qui synagogam, iam in Christo credentes, frequentare solebant) uti tales habebantur. Inter hos recensendi probabilissime sunt Prisca et Aquila de quibus *Actus App.* ut supra loquuntur: certe, eos christianos Paulus invenit, non enim cum ipsis mansisset si christiani non fuissent; neque eos per Apostolum tunc factos christianos *Actus* asserunt.

24. (d) Tandem de anno expulsionis, Orosius testatur quod illum annum antecessit in quo fames Romae fuit. Tacitus (*Annal.*, XII, xliii) hanc ponit sub consulatu Claudii V et Servii Cornelii Orfiti quod anno Domini 51, et imperii claudiani undecimo respondet. Ergo iudaeorum claudiana expulsio anno Claudii decimo (A. D. 50), non nono uti vult Orosius (1), evenit.

## III. De Romanae Ecclesiae indiciis neronianis.

### *De Pomponiae Graecinae causa.*

10. Tacitus (circa A. D. 54 - c. 120) in *Annalibus* XII, xxxii: « Pomponia Graecina insignis femina, A. Plautio quem ovasse de Britannis retuli (2) nupta, ac superstitionis externae rea (3), mariti judicio permissa (4). Isque prisco instituto (5), propinquis coram, de capite, famâque coniugis cognovit (6), et insontem

---

(1) Unius anni diminutio in Orosii chronologicà computatione etiam alibi invenitur. Et Hieronymi *Chronicon* eusebianum famem illam decimo Claudii anno assignat.

(2) Tacitus superius narraverat quod Aulus Plautius bellum contra Britannos duxerat, cumque victor rediisset, ovatione (semi-triumpho) honoratus est.

(3) Rea, accusata, poenali caussâ afficienda.

(4) Competentia juridica tribunalis domestici pro Pomponiae caussà, declarata fuit.

(5) Ex antiquissimo romano more *paterfamilias* erat iudex familiae suae, àc imprimis uxoris et filiorum, ita ut, constituto familiari tribunali, hos et illam gravi quacumque culpà sontes cognoscens, etiam mortis poenà mulctare poterat.

(6) Nempe inquisitionem, processum instituit (qui processus « cognitio » vocabatur) de causà a qua fama et vita (caput) uxoris suae pe-

pronuntiavit. Longa huic Pomponiae aetas et continua tristitia fuit ; nam post Juliam Drusi filiam dolo Messalinae interfectam, per quadraginta annos non cultu nisi lugubri, non animo nisi moesto egit ».

26. Notanda. — Ex hoc commate tacitiano, qualis fuerit « superstitio externa » Pomponiae, minime, per se, deduci potest. Quidam ex continuâ moestitiâ ac lugubri cultu eam judaicam proselytam aut christianam fuisse, deduxerunt ; at perperam : nam ex Tacito patet quod moestitia illa ortum habuit ex morte Juliae cui amica, evidenter, Pomponia erat.

Attamen ex indirecta inductione hoc statuere fas est. Equidem variae « superstitiones externae » (nempe religiones ab officiali pagana diversae) religioni romanae minime obstabant, praeter judaicam et christianam : unde Isidis vel Mithrae cultor ex hoc quod aegyptiam deam vel persicum deum adorare coeperat, a Iovis et Iunonis cultu non arcebatur : tam verum hoc est, quod, processu temporis, Mithra cum Apolline identificatus fuit. Nullus igitur, in praxi, sufficiens titulus adesset causam contra Pomponiam instituendi si talibus superstitionibus ipsa devota exstitisset, cum Urbs hisce Isidis, Mithrae etc. sectatoribus scateret.

Post Augustum, imperialisticâ mentalitate de die in diem amplius praedominante, totamque vitam socialem informante, maximus « latitudinarismus » pro externis superstitionibus invaluit. Quod si aliquando isiacos cultores (uti sub Tiberio evenit) vel judaeos (uti sub Tiberio et Claudio) imperatoria auctoritas expulit aut poenis affecit, hoc tantum evenit ex quodam facinore ab ipsis patrato ; sub Tiberio quidem matrona romana isiaci sacerdotis complicitate in Isidis templo oppressa est ; sub eodem alia matrona a quibusdam judaeis, praetextu templi hierosolymitani adornandi, ingenti pecuniâ defraudata fuit ; sub Claudio, judaeorum « assidui tumultus » expulsionis poenam provocarunt. At ex eo ipso quod, paullo post, et isiaci et judaei Urbem iterum ingressi, in pace prosperarunt, satis superque ea quae jam innuimus, confirmantur.

E contra, romanus civis qui judaico proselytismo vel christianae religioni nomen dabat, a deorum patriorum cultu prohibebatur ; ex quo fiebat ut contra patrium cultum hostis videretur, et ex hoc titulo punibilis.

riclitabatur ; infamis enim et morte plectendus judicari poterat romanus civis, superstitionis externae reus, per quam patrios deos et, per hoc ipsum, patriae amorem et fidelitatem) despexisset.

Hinc quod Pomponia alterutri cultui, vel judaico vel christiano, pertinuisset concludendum est, dum, de cetero, hoc cum eius indole severâ et a mundi fallaciis abhorrente, utique concordabat.

27. Restat ut arguatur an proselyta synagogae fuerit Pomponia, an Ecclesiae. Nullum quidem adest directum indicium ad discrimen dirimendum. Non circumstantia, quod nuper inventae sunt quaedam eius familiae epitaphia christiana, saeculi II (1); nam non solum haec de Pomponiae personâ nihil asserunt; sed datâ hypothesi de Pomponiâ judaicâ proselytâ, posteriores Pomponii christiani facilius intelliguntur, nam ex facto antiquioris illius proselytae quaedam evangelii praeparatio in eorum domo praecessisset, cum proselytismus judaicus apud ethnicos, ex ipsius naturâ, aptissima evangelizationis praeparatio plerumque evaderet.

Sed pro Pomponiâ Graecinâ christianâ magis praesumendâ quam judaicâ proselytâ, stat indirectum quidem, ast practice solidum argumentum. Pomponiae Graecinae tempore, romana synagoga magnâ potentiâ ac lato influxu pollebat, cum et ipsa Poppaea proselyta zelantissima haberetur. Quinam igitur Pomponiam, nobilem gravem et ab ipso Claudii tempore in domestico recessu fere abditam feminam, de judaico proselytismo accusare ausus esset?

28. Sed ponatur, e contra, quod Pomponia christiana exstiterit, et tanto magis si ex judaico proselytismo ad christianismum pertransierit: nil quam eius accusatores invenire, facilius erit.

Judaei enim implacabili odio ac invidiâ christianos prosecuti, eos sub legis periculo trahere ab ipso Christi initio jam consueverant. Post Christi mortem, per eos Iacobus ab Herode occisus, Petrus vero in carcerem detrusus et, nisi ab angelo liberaretur, occidendus; per eos Paulus absque requie ubique exagitatus, coram romanis magistratibus accusatus, ad mortem usque impetitus. Quid mirum, igitur, de judaeis matronam romanam in Christi odium accusantibus, cum e fontibus coaevis pateat quantâ cupiditate nobiles divitesque matronas judaei circumvenirent ut proselytae fierent ac manerent? Quantâ invidiâ christianam Pomponiam esse a judaeis romanis audiendum erat; quanto autem livore eam a synagogâ ad Ecclesiam pertransisse (datâ hypothesi haud improbabili) cognovissent,

(1) In cryptis Lucinae, apud s. Cornelii sepulchrum, inventa est inscriptio, medio saeculo II$^{o}$ exarata de quodam « Pomponio Grekeino »: aliaeque eiusdem coemeterii inscriptiones nomen Pomponiae familiae repetunt: cfr. Marucchi, *Eléments d'archéol. chrétienne*, Rome 1906, (2$^{a}$ ed.) pag. 12.

atque sibi deperditam, invisis autem christianis acquisitam fateri cogerentur!

Hinc est quod Pomponiam Graecinam christianam, et a judaicâ invidiâ in famae capitisque discrimen impulsam fuisse, maximâ probabilitate imo quadam morali certitudine, tenendum est.

## IV. De Pauli actis romanis.

*(A) Pauli epistola ad Romanos — (B) Pauli adventus et commoratio in Urbe — (C) Pauli epistolae romanae.*

### A. *Pauli epistola ad Romanos.*

29. Paulus ad Rom.: « *i*, 1. Paulus, servus Iesu Christi, vocatus (1) apostolus, segregatus (2) in evangelium Dei.... 7. omnibus qui sunt Romae dilectis Dei, vocatis sanctis.... 8. Primum quidem gratias ago Deo meo per Iesum Christum pro (3) omnibus vobis, quia fides vestra annuntiatur in universo mundo. 9. Testis enim mihi est Deus.... quod sine intermissione memoriam vestri facio 10. semper in orationibus meis, obsecrans, si quo modo tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos. 11. Desidero enim videre vos, ut aliquid impertiar vobis gratiae spiritualis ad confirmandos vos, 12. idest simul consolari in vobis per eam, quae invicem est, fidem vestram atque meam. 13. Nolo autem vos ignorare, fratres, quia saepe proposui (4) venire ad vos, et prohibitus sum usque adhuc (5), ut aliquem fructum habeam et in vobis, sicut et in ceteris gentibus. 14. Graecis ac barbaris, sapientibus et insipientibus debitor sum; 15. ita quod in me promptum est et vobis, qui Romae estis, evangelizare.... *xi*, 14. Certus sum autem,

(1) Indicat specialem vocationem suam ad apostolatum ; simili sensu infra, vers. 7, sumendum illud « vocatis sanctis ».

(2) Cfr. « segregate mihi Saulum et Barnabam » (*Act.* xiii, 2).

(3) i. e. propter vos omnes.

(4) Cfr. *Act.* xix, 21.

(5) Quid eum prohibuerit, indicat cap. xv, 18 seqq.

fratres mei, et ego ipse de vobis, quoniam et ipsi pleni estis dilectione, repleti omni scientiâ, ita ut possitis alterutrum monere. 15. Audacius autem scripsi vobis, fratres, ex parte tanquam in memoriam vos reducens (1) propter gratiam, quae data est mihi a Deo, 16. ut sim minister Christi Iesu in gentibus, sanctificans evangelium Dei, ut fiat oblatio gentium accepta et sanctificata in Spiritu Sancto. 17. Habeo igitur gloriam in Christo Iesu ad Deum. 18. Non enim audeo aliquid loqui eorum quae per me non efficit Christus in oboedientiam gentium, verbo et factis, 19. in virtute signorum et prodigiorum, in virtute Spiritus Sancti, ita ut ab Ierusalem per circuitum usque ad Illyricum repleverim evangelium Christi. 20. Sic autem praedicavi evangelium hoc, non ubi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum aedificarem, sed, sicut scriptum est : 21 « Quibus non est annuntiatum de eo, videbunt, et qui non audierunt, intelligent ». 22. Propter quod et impediebar plurimum venire ad vos et prohibitus sum usque adhuc (3). 23. Nunc vero ulterius locum non habens in his regionibus, cupiditatem autem habens veniendi ad vos ex multis iam praecedentibus annis, 24. quum in Hispaniam proficisci coepero, spero quod praeteriens videam vos et a vobis deducar illuc, si vobis primum ex parte fruitus fuero. 25. Nunc igitur proficiscar in Ierusalem ministrare (4) sanctis.... 28. Hoc igitur cum consummavero et assignavero eis fructum hunc, per vos proficiscar in Hispaniam. 29. Scio autem quoniam veniens ad vos

---

(1) Ea quae scripsi ausus sum ita scribere, non tamquam novam doctrinam vobis afferens, sed ut ea quae in fundatione vestrae ecclesiae audistis, vobis in mentem revocarem. Hoc autem suo iure faciebat, quippe cui apostolatus gentium tamquam peculiaris provincia commissus erat (*Gal.* ii, 7).

(2) *Isaias*, lii. 15.

(3) Ratio ob quam Paulus nondum Romam venerat, erat, quod nolebat falcem in alienam segetem mittere; sed ibi tantum evangelium praedicabat, quo nulla eiusdem notitia pervenerat. Nunc autem, occasione itineris hispanici, quo Romà transeundum erat, sperat se Romanos visurum eorumque fide et sanctà conversatione fruiturum.

(4) i. e. stipem in Macedonia et Achaia pro indigentibus fratribus palaestinensibus collectam eisdem perferre. Cfr. *Act.* xxiv, 17.

in abundantiâ benedictionis evangelii Christi veniam.... *xvi*, 1. Commendo autem vobis Phoeben, sororem nostram, quae est in ministerio ecclesiae quae est in Cenchris (1), 2. ut eam suscipiatis in Domino digne sanctis et assistatis ei in quocunque negotio vestri indiguerit, etenim ipsa adstitit multis et mihi ipsi. 3. Salutate Priscam et Aquilam (2), adiutores meos in Christo Iesu, 4. (qui pro anima mea suas cervices supposuerunt (3), quibus non solus ego gratias ago, sed et cunctae ecclesiae gentium) 5. et domesticam ecclesiam eorum. Salutate Epaenetum dilectum mihi qui est primitivus Asiae (4) in Christo. 6. Salutate Mariam, quae multum laboravit in vobis. 7 Salutate Andronicum et Iuniam, cognatos (5) et concaptivos meos, qui sunt nobiles in apostolis (6), qui et ante me fuerunt in Christo. 8. Salutate Ampliatum (7) dilectissimum mihi in Domino. 9. Salutate Urbanum adiutorem nostrum in Christo Iesu, et Stachyn dilectum meum. 10. Salutate Apellen probum (8) in Christo. 11. Salutate eos qui sunt ex Aristoboli (9) domo. Salutate Herodionem cognatum meum. Salutate eos qui sunt ex Narcissi domo, qui sunt in Domino. 12. Salutate Typhaenam et Tryphosam, quae laborant in Domino. Salutate Persidem carissimam, quae multum laboravit in Domino. 13. Salutate Rufum

---

(1) Graece Cenchreae, quae sunt suburbium Corinthi versus sinum achaicum.

(2) Cfr. *Act.* xviii, 2. 18.

(3 Ubi et quando id fecerint, non liquet.

(4) Graeci codd. plerique legunt Achaiae, verum perperam ; nam primitiae Achaiae fuerunt Crispus et Caius (*I Cor.* i, 17).

(5) Quae cognatio hic et infra, vers. 11 intelligenda sit, non satis apparet. Graecus textus habet συγγενεῖς. Forsitan Apostolus significabat eos fuisse suos contribules i. e. ex eadem tribu Beniamin, ac ipsum. Similiter ignoratur quando et ubi iidem Pauli in captivitate socii fuerint.

(6) Vel nobiles i. e. noti (ἐπίσημοι) Apostolis primitivis ; vel illustres inter eos evangelii praedicatores qui etiam apostoli vocabantur, ut Apollo.

(7) Ἀμπλιᾶν: sed haec forma videtur esse contracta ex nomine latino, ut Lucas pro Lucano vel Lucio, Patrobas (v. 14) ex Patrobio, Silas pro Silvano.

(8) δόκιμον i. e. probatum.

(9) graece Aristobuli.

electum in Domino et matrem eius et meam. 14. Salutate Asyncritum, Phlegontem, Hermam, Patrobam, Hermen, et qui cum eis sunt fratres. 15. Salutate Philologum et Iuliam, Nereum et sororem eius et Olympiadem (1) et omnes qui cum eis sunt sanctos. 16. Salutate invicem in osculo sancto. Salutant vos omnes ecclesiae Christi. 17. Rogo autem vos, fratres, ut observetis eos qui dissensiones et offendicula praeter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, et declinate ab illis... 19. Vestra enim obedientia (2) in omnem locum divulgata est. Gaudeo igitur in vobis, sed volo vos sapientes esse in bono et simplices in malo »...

In plerisque codicibus graecis ad finem epistolae additur « Ad Romanos Corintho scripta est per Phoeben diaconissam ecclesiae quae est in Cenchreis ».

30. Notanda. — Tum ex traditione quae primum Petri adventum in Urbem ad initium claudiani imperii refert, tum ex assiduis tumultibus inter iudaeos Romae coortis propter Christum, constat, numerum christianorum circa ea tempora satis conspicuum fuisse. Quodsi Claudius ob illos tumultus iudaeos atque, inter hos, illos quoque qui iam in Christum crediderant, Româ discedere coegit, exilium illud non diuturnum erat.

Insuper, cum nihil prohibeat quominus iam eo tempore etiam ethnico-christianos Romae fuisse credamus, hi securi Romae manere poterant. Redeuntibus deinde paulatim etiam iudaeis fidelibus, in quibus Prisca et Aquila (*Rom.* xv, 3 , de quibus supra n. 20, Romana Ecclesia iterum restituta est. Illud demum notare licet, in illa expulsione vix comprehensos fuisse iudaeos servilis vel libertinae conditionis, nisi forte quorum heri et ipsi iudaei erant.

Porro Paulum status ecclesiae romanae latère omnino non poterat. Si non antea, certe a Priscâ et Aquilâ, quos Româ exules Corinthi invenerat, apprime didicit quantum via Domini in Urbe, quae caput erat terrarum orbis, profecerit. Ex eo tempore magna illa visendae Urbis cupido, quam in hac epistolâ, tantâ cum emphasi, prodit, Apostolum invasit. Verum labores apostolici in illis regionibus quae aegeum mare circumiacent et ipsa ratio quam in suâ praedicatione sequendam sibi praestituerat eum impediebant, quominus ardenti desiderio obsecundaret. Sed Ephesi constitutus « proposuit Paulus in spiritu » i. e. divinitus accepto

(1) Ὀλυμπᾶν quod nomen virum potius indicat.

(2) Hic accipienda potius videtur pro obedientiâ fidei.

monito « transitâ Macedoniâ et Achaiâ ire Hierosolymam, dicens: Quoniam postquam fuero ibi, oportet me et Romam videre » (*Act.* xix, 21). Uti vero testatur Paulus in hac epistolâ (xv, 24-28), Romam non praedicandi causâ contendebat, quippe quod esset contrarium rationi operis evangelici sibi praestitutae, sed ut ibi in hispanico itinere subsisteret, atque ita animo recrearetur considerans fidem et sanctitatem vitae fidelium romanorum, quam tantopere ubique terrarum praedicari audierat. Hoc pacto illud quod antea impedimento erat quominus Romam veniret (quod scilicet inaccessa evangelio loca praediligeret) id nunc opportunam praebebat occasionem, ut voti compos fieret. Ita quidem Paulus secum statuerat. Aliter tamen Deus proposuerat, qui eum vinctum Romam deduci et non per transitum tantum, ut ipse putabat, sed toto biennio ibi manere volebat. Verum de hac re infra.

31. Porro hac epistolâ Apostolus proximum suum adventum praeannuntiat. Quo tempore scripta sit, ex ipsâ epistolâ colligitur. Cap. xv. 25 dicitur : « Nunc igitur proficiscar in Jerusalem ministrare sanctis », quae indicant, eum, cum scriberet iam in procinctu fuisse, ut in Palaestinam proficisceretur, eleemosynas ecclesiarum Macedoniae et Achaiae laturus. Iamvero hoc congruit quinto illi hierosolymitano Pauli itineri, quod ex Graeciâ susceperat, initio quidem navigaturus, sed cum ei a Iudaeis insidiae ponerentur, per Macedoniam terrestri viâ usus, uti narratur *Act.* xx, 3. Igitur scripta est vel initio martii mensis eius anni quo Paulus Hierosolymis in vincula coniectus Felici praesidi iudicandus traditus est, vel iam ante mensem novembrem praecedentis anni. Nam epistola per Phoeben diaconissam Cenchrearum ecclesiae perferenda erat ; ergo Cenchreis vel Corinthi (cuius illae suburbium maritimum sunt) si non scripta certe absoluta est. Cumque ab initio mensis novembris usque ad initium martii mare clausum esset (1), aut ante, aut post illud tempus Phoebe Romam Corintho profecta est. Sed cum Paulus post dies azymorum eius anni Philippis in Troadem profectus sit, postquam totam Macedoniam peragrasset, atque in celebrioribus urbis substitisset (*Act.* xx, 3-6), saltem ante mensem, id est sub initium martii mensis, statim ac mare navigantibus apertum est, Corintho in Macedoniam proficisci debuit, et antea epistolam Phoebae tradere. Attamen cum verisimile sit, eum diutius in singulis Macedoniae et Graeciae ecclesiis commoratum esse, non immerito epistolam iam ante hiemem superioris anni datam fuisse putabimus. Iuxta veriorem supputandi rationem annus quo

(1) Vegetius, *de re milit.* IV, 39.

Paulus Hierosolymis in vincula coniectus est, est annus aerae vulgaris vel 58 [Zahn (1)] vel 57 [Belser (2)].

32. Argumentum epistolae, praeter exordium et salutationes in fine, in duas potissimum partes dividitur, doctrinalem unam (I, 17 — XI) paraeneticam sive exhortatoriam alteram (XII — XV). In priore parte agit de habitudine veteris legis ad novam, de omnimodâ aequiparatione iudaeorum et gentilium qui ad fidem venerunt, hanc autem esse donum gratuitum Dei, solamque, sine observatione antiquarum coeremoniarum, sufficere ad iustificationem in Christo capiendam, unicam porro praerogativam qua iudaei superarent gentiles hanc esse quod sint depositarii promissionum Dei, ac proinde Christi gratiam eis debitam fuisse ex fidelitate Dei promittentis, dum gentes ex merâ misericordiâ assumpti sint; quodsi verbum Dei tunc tantopere impetebatur a iudaeis, hoc ex inscrutabili Dei permissione factum esse, tandem vero etiam populum iudaicum ad Ecclesiae sinum, venturum esse. Pars altera omnes fere christianas virtutes et officia comprehendit. Verum de quibusdam fusior sermo est : de humilitate et modestiâ in usu charismatum (xii, 3-8), de obedientiâ et subiectione erga potestates rei publicae xiii, 1-8 , de caritate qua tolerandi sunt infirmi in fide, ii praesertim qui cibis quibusdam abstinent (xiv).

33. Iam videamus, quid ex epistolâ circa statum et historiam romanae ecclesiae eruatur. In primis hoc certo deducitur, fideles romanos non fuisse ex eorum numero qui hac illac per romanum orbem sparsi erant, sed iam ad constituendam iustam ecclesiam coaluisse, aliâs vix fidei eorum et obedientiae fama (i, 8, xvi, 19) in universo mundo divulgari poterat ; neque minus tamdiu tanto desiderio eos visere eorumque sanctâ conversatione frui ac recreari cupivisset. Id manifestius etiam patet ex iis quae de modestiâ et humilitate in usu variorum charismatum ministrandi, docendi, prophetandi, praesidendi, exhortandi, tribuendi (xii, 6-8) admonet ; quis enim haec legens non recordetur eorum quae de eodem argumento ad Corinthios scribit (*I Cor.* xii - xiv). Ut igitur ibi de rebus agitur quae passim in conventibus fratrum fiebant, eodem iure etiam a romanis regulares conventus celebrari arguimus. Si quid porro interest inter romanos et corinthios, id unum est, quod hi arguuntur, quia non omnia cum ordine fiebant; illis autem, tantum, periculum indicatur quod

---

(1) *Einleitung in d. N. Testament*, II, 2 ed., pag. 644 seqq.

(2) In *Theol. Quartalschrift* (Tübingen). 1898, pag. 353 seqq.

cavendum est ; quapropter romanis breviter rem absolvit, dum tribus capitibus pro corinthiis tractat.

De origine romanae ecclesiae nihil expressis verbis tradit. Verum evangelium Romae ab aliquo Apostolo vel viro apostolico annuntiatum fuisse satis perspicue innuit, cum asserit, audaciam qua in scribendo usus erat excusans, se voluisse tantum eis in mentem revocare ea quae iam didicissent (xv, 15), cum romanos cautos reddere vult contra eos qui offendicula ponerent, spargentes doctrinas praeter eam quam didicissent (xvi, 17): quae supponunt Romae evangelium a quodam homine cum auctoritate praedicatum fuisse. Quam ad rem maioris etiam momenti est illud, quod dicit se nondum Romam venire potuisse, propterea quod sibi moris erat illic non praedicare, ubi iam esset annuntiatum verbum Dei, *ne super alienum fundamentum aedificaret* (xvi, 20).

Igitur fundamentum Romae iam positum erat ab alio, qui certe non debebat esse auctoritatis multo inferioris quam ipse Paulus, i. e. apostolus aut sensu stricto aut latiore. Fundamentum enim primam praedicationem cum auctoritate factam etiam alibi Paulus appellat. Sic *I Cor.* iii, 9: « Secundum gratiam Dei, quae data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui »; et paulo ante, aliâ usus metaphorâ, dixerat : « Ego plantavi, Apollo rigavit » (ib. 3). Conferri etiam potest illud « superaedificati super fundamentum apostolorum et prophetarum » *Eph.* ii, 20).

Quod si Romae evangelium ab obscuris quibusdam hominibus, quos vel negotia vel servitium eo adduxerat, disseminatum fuisset, Paulus non tantam verecundiam habuisset ne super alienum fundamentum aedificaret, neque romanos in transitu tantum videre satis habuisset.

34. Ecclesia quidem romana tum ex iudaismo, tum ex gentilitate collecta erat. Id ex argumento principali epistolae sequitur, praesertim quatenus inculcat omnimodam aequalitatem inter eos qui ex circumcisione et qui ex gentibus crediderunt.

Hinc etiam Paulus mox iudaeum interpellat, mox gentilem. Denique non inconsulto tam saepe Paulus iudaeum et graecum simul nominat (i, 16 ; ii, 9. 10 ; iii, 9. 29 ; ix 24 : xv, 8. 9). In salutationibus autem qui nominantur maximâ ex parte iudaei sunt, ut Prisca et Aquila cum domesticâ ecclesiâ eorum, Maria, Andronicus et Iunias necnon Herodion quos cognatos appellat Apostolus, qui ex domo Aristobuli sunt et forsitan unus vel alter ex aliis qui ibi nominantur. Sed hoc facile explicatur ex hoc quod Paulus eos tantum salutat quos ipse novit ; romanorum autem ex gentilibus vix ullum nosse poterat.

Magnus numerus personarum a Paulo in hac epistolâ salutatarum, quibusdam recentibus scriptoribus suspicionem praebuit ne haec epistolae pars aut omnino genuina non sit, aut ex aliâ quadam Pauli epistolâ per errorem huc translata (1).

Sed primo quidem, si mirantur quo pacto Apostolus Romae tot notos aut amicos habuerit, mirabuntur etiam si legent in *Actibus* fratres romanos, audito eius adventu, usque ad Appii forum et Tres Tabernas obviam iisse. Quodsi ex nominibus cavillantur, ea sunt vel aliâs nota, vel in inscriptionibus romanis illius praecipue temporis frequentissima, ut luculenter est demonstratum a Lightfoot (2). Priscam et Aquilam certe Epheso, quo cum Paulo perrexerant (3), Romam redisse nil miri habet ; fortasse Paulus ipse eisdem revertendi auctor erat. Rufus, qui hic salutatur, non immerito idem esse putatur ac ille quem Marcus in Evangelio nominat filium Simonis Cyrenaei, fratrem Alexandri, quosque romanis notos fuisse supponit. Ad reliqua nomina quod attinet, Lightfoot l. c affert plures inscriptiones, quandoque quatuor, quibus patet nomina illa tunc Romae non fuisse rara ; ubi hoc etiam notandum est, easdem omnes pertinere ad homines ex domo Augusta. Sed Paulus Româ ad Philippenses scribens, praecise eos salutat nomine eorum « qui de Caesaris domo sunt » 4). Denique non sunt praetereundi ii « qui sunt ex Aristoboli domo » et qui « ex Narcissi domo »: non ergo Aristobulus et Narcissus, sed eorum familia, seu ii omnes qui eorum famulatui addicti sunt, sive liberti sive servi. Iamvero, praeterquam quod Aristobuli nomen inter iudaeos non infrequens fuit, non contemnenda est coniectura eorum qui illum heic Aristobulum designari autumant ex Herodis Magni nepotibus, qui cum fratribus suis Agrippâ et Herode Romae educatus, ibi (postquam illi regiam dignitatem adepti sunt) manens, privatus vixit et Claudio imperatori carus erat (5). Forsitan Herodion, qui immediate postea salutatur nominatim ut cognatus, et ipse erat ex familia Aristobuli. Narcissi nomen et ipsum non est infrequens. Sunt qui putant illum libertum potentissimum designari, Claudio imperatori tam gratum, ut ei summam rerum permitteret (6).

---

(1) Cfr. Cornely, in Ep. ad. Rom. p. 770.
(2) *St. Pauls epistle to the Philippians*. London 1890, 174-177.
(3) *Act.* xviii, 18, 26.
(4) Philipp., ivi, 24.
(5) Iosephus, *Bell. iud.* II, xi, 6 ; *Antiq.* XX, 1. 2
(6) Tac. *Ann.* XI, 29

Contra hanc coniecturam obiici posset, Narcissum brevi post Claudii mortem opere Agrippinae necatum esse (1), ita ut « domus Narcissi » amplius non exsisteret, ipsumque Aristobulum tum vixdum superstitem fuisse. Verum alicuius familia, i. e. servi, si per hereditatem, confiscationem etc. in alterius manum transierunt, iuxta pristini domini nomen appellari solebant. Ita in Caesarum familia iuxta inscriptiones inveniuntur Maecenatiani, Agrippiani, Germaniciani, semel etiam Narcissianus (2). Itaque Narcissi familia servilis et libertini generis post eius necem in Caesaris dominium redacta est, retentâ priore appellatione, qua etiam Paulus ipse hic utitur.

Haec certe merae coniecturae sunt; verum iure cum Lightfoot concluditur, in tanto cumulo indiciorum fieri vix posse quin unum vel alterum re vera congruat.

35. Ad fidem moresque romanorum quod spectat, floruisse tunc Romae ex Pauli laudibus colligitur. Fidem et obedientiam eorum in universo mundo praedicari non semel affirmat, adeo ut desideret vicissim consolari et recreari, ut desideret aliquem fructum habere etiam inter romanos sicut et in ceteris gentibus, quasi ei displiceat tantum boni non ab se effectum esse. Alibi fraternae caritatis christianaeque scientiae egregium eis testimonium perhibet.

Quamvis tamen Pauli verba tam luculenta sint quam brevia, non defuere tamen sive inter antiquos sive inter recentes, qui romanam ecclesiam tum gravibus intestinis dissensionibus afflictam esse dicerent, hac ducti ratione quod de quibusdam fidei et morum capitibus tam copiose et tam graviter disserit. Verum, antequam singula momenta rationum expendamus, hoc in universum notamus: Paulum, si revera aliquid ad aures eius venisset, quod reprehensione dignum esset, non eum fuisse qui id silentio premeret, quasi vereretur nimiâ severitate uti. Non ita se gessit neque cum Petro Antiochiae, neque cum galatis neque cum corinthiis.

36. De dissensionibus inter iudaizantes et ethnico-christianos iam aliàs dictum est, ubi de sententiâ Ambrosiastri egimus. Quod si Paulus tam diffuse agit de habitudine veteris legis ad fidem, hoc ideo fecit, quia quaestio erat tunc maximi momenti, quae multum fidelium mentes agitabat, circa quam necesse erat, ut perspicua haberetur doctrina. Insuper periculum utique erat, ne iudaizantium emissarii etiam Romam venirent; ideo

(1) Tac *Ann.* XIII, 2.
(2) Lightfoot, p. 175.

in fine epistolae, cum iam omnes salutasset, monet ut observent eos qui novas doctrinas spargerent. Ex toto tenore epistolae autem nullum vestigium dissensionum circa fundamentale illud doctrinae caput apparet, quippe quae longe abest ab illa severitate in reprehendendo qua informatur epistola ad galatas.

Alii vero (ut Renan eiusque asseclae et imitatores) in verbis illis quibus solemniter catholicam doctrinam de reverentiâ et obedientiâ erga principes magistratus et leges Paulus adstruit (« Omnis anima... cui honorem, honorem » xiii, 1-7), innui putaverunt quamdam Apostoli peculiarem intentionem, quasi ipse sciret quod illi christifideles a judaeis zelotis et ebionitis ad romanam auctoritatem despiciendam tributumque ei negandum impellerentur.

Renan hanc vacuam hypotesin proponens, inanibus aliis hypothesibus eam fulcire conatur : « Videtur quod, tempore quo Paulus hanc scripsit epistolam, plures Ecclesiae et praesertim romana in proprio sinu habebant tum quosdam Judae Gaulonitae discipulos legitimitatem tributi negantes, et rebellionem contra romanam auctoritatem praedicantes, tum quosdam ebionitas qui absolute regnum Satanae regnumque Christi opponebant, ac praesens saeculum imperio diaboli identificabant » (1).

Quid plura ? Quidam Renanii serus imitator, christianos veros fuisse neroniani incendii auctores demonstrare insane conatus, renanianâ hypothesi talem calumniam fulcire tentavit, quasi ex ipsâ Pauli epistolâ christianos illos ad rebellionem jam proclives fuisse deduci posset (2).

37. Quantum vacui et depravati ratiocinii in his cavillationibus insit, facile cuique sensato et honesto patebit. — Re quidem vera, Archelao rege in exilium depulso, Iudaeâque in romanam provinciam redactâ, galilaeus ille Iudas de Gaulon fuit unus ex tot zelotis plebis judaicae agitatoribus qui machabaicam de israeliticâ redemptione traditionem detorquentes, contra romanum imperium plebem illam fanaticam

---

(1) « Il semble (sic) qu' a l'époque où il écrivit cette épitre, diverses Eglises, surtout l'Eglise de Rome, comptaient dans leur sein soit des disciples de Iuda le Gaulonite qui niaient la légitimité de l'impôt et prêchaient la révolte contre l'autorité romaine, soit des Ebionites qui opposaient absolument l'un à l'autre le régne de Satan et le régne du Messie, et identifiaient le monde présent avec l'empire du démon » (« *Histoire des origines du christianisme* » : III, *St. Paul.* Paris 1869, p. 475).

(2) Carlo Pascal : *L'incendio di Roma e i primi cristiani :* seconda ediz., Torino 1900 p. 26.

ac semper inquietam concitabant, tributum Caesari reddendum esse negantes.

Iuda Gaulonite a Romanis interfecto, eiusque asseclis dispersis, hi brevi post tempore sub Iuda filio Menahem eiusque collega Eleazaro, novam seditionem pararunt: ac putantes egregium resumendae libertati tempus adesse, bellum judaicum coeptavere cuius exitus supremum Ierosolymae exitium, Tito auctore, anno Christi 70, tandem fuit (cfr. *Act.*, v. 37; Jos. Flav.; *Bell. jud.*, II, xvii, 7-19).

Contra talem concitandae seditionis ac tributi negandi agitationem, gaulonitis ceterisque sectariis propriam, Christi doctrina praeliata est, quippe quae seditionem tributique negationem omnino condemnabat, celeberrimis illis verbis: « Reddite quae sunt Caesaris, Caesari » (Matt. xxii, 21; Marc. xii, 17; Luc xx, 25). Hinc factum est quod inter christianos et sectarios illos nulla unquam relatio nonnisi hostilis intercesserit: unde et postea, Barkochbà (annis Christi circ. 134-5, sub Hadriani imperio) zelotas exagitante et feram rebellionem concitante, christiani ab illo Gaulonitae successore saevis tormentis afflicti sunt (cfr. Euseb.: *Hist. Eccles.* IV, xii).

Quomodo igitur fieri potuit quod quidam gaulonitae inter christianos adessent, cum, toto caelo, diversa inter illos fides et norma imperaret? si gaulonitae illi ad Christum conversi erant, quomodo agitationem aperte antichristianam fovissent? et si christiani non erant, quomodo christianos, in re tam gravi, contra Christi praecepta et exempla agere suasissent?

38. Ad ebionitas vero quod pertinet (nempe ad christianos usque ad haeresim judaizantes), utique haud oportet ebionitismo adscribi ut inter Dei regnum et regnum Satanae oppositio instituatur, et sic credatur quod « mundus totus in maligno positus est » (ep. I. Ioan., v. 19).

Sed quod ex hoc christianorum illorum antiromana agitatio et insurrectio legitime deducatur, a sensatis honestisque criticis ridiculum maxime et exosum sophisma merito judicandum est.

39. Igitur de epistolae paulinae ad Romanos doctrinà quoad reverentiam et obedientiam principibus ac legibus debitam, concludendum est quod verba illa ad qualemcumque christianorum romanorum politicam perturbationem minime alludant, - - cum, praeter ea quae mox innuimus, hoc certum indicium habeatur, quod si revera Paulus talem agitationem scivisset ac impugnare voluisset, absque dubio de ea sermonem fecisset, severis aut blandis attamen apertis verbis usus, sicut semper cum omnibus fecit, uti patet ex eius epistolis ad corinthios, ad galatas etc.

Doctrinam illam romanos potiusquam ceteros christianos Apostolus directe docere voluit, evidenter quia opportunius Urbem mundi caput romanique imperii sedem inhabitantibus dirigebatur, ut in ipsâ Româ christiana doctrina de debito ethico politico erga gubernium et leges proclamata esset, et amicis ac inimicis melius ac citius patefieret.

40. Maiore sane cum veritatis specie ex capite xiv suspiceris Romae, uti etiam Corinthi (1), fideles ancipites haesisse, quo pacto se gererent quoad idolothyta. Verum ex verbis Pauli ne hoc quidem resultat, utrum de idolothytis agat an de cibis quibus vesci iudaei vetabantur. Quidquid sit, illa verba: « Alius enim credit se manducare omnia, qui autem infirmus est (non corpore, sed fide, ut patet ex contextu) olus manducet »; ubi graecus textus loco coniunctivi, indicative dicit ἐσθίει, « manducat », videntur suspicioni illi pondus adiicere. Itaque, secundum hanc opinionem fuerunt quidam christiani Romae, nimium timidi ac scrupulosi, qui ne contaminarentur esu idolothytorum, praesertim carnium, ab omnibus carnibus abstinebant. Chrysostomus (2) vero putat iudaeo-christianos, legis conscientiâ detentos adhuc legem ciborum custodivisse, sed ne deprehenderentur a suillis carnibus abstinere, ab omnibus omnino carnibus abstinuisse, ut illud magis ieiunium esse videretur quam legalis observatio; alios autem illis talia observantibus molestos fuisse exprobrantes: Paulum ergo maximam commendare illis caritatem, ne dum vellent eos ad ciborum indifferentiam adducere, id efficerent ut a fide resilirent. Quoniam cum Chrysostomo consentiunt fere Theodorus Mopsuestenus et Theodoretus (in hunc locum), haec opinio communis fuisse videtur in scholâ Antiochenâ. Nihil tamen cum certitudine statui potest, eo vel magis quod Apostolus in suis monitis dandis experientiâ usus esse videtur quam in aliis ecclesiis a se fundatis acquisivit, ut quae ibi animadvertere et corrigere debuit, ea romanis cavenda monstraret.

41. Tandem utrum infestationes etiam ecclesiae romanae non defuerint, non satis certe deducitur ex epistolâ. Capite quidem xii plura monet de dilectione inimicorum, ut « benedicite persequentibus vos » (14) « nulli malum pro malo reddentes » (17), « si fieri potest, cum omnibus hominibus pacem habentes, non vosmetipsos defendentes » (18, 19). Sed haec ea non sunt quae indicent ecclesiam ut talem, aut fideles propter fidem molestiarum aliquid passos esse ; sed generale praeceptum sonant.

---

(1) *Cor.*, viii.

(2) In ep. ad Rom. hom. 25.

B. ***Pauli adventus et commoratio in Urbe.***

42. *Act.* xxviii. 14. « Ubi [Puteolis prope Neapolim] inventis fratribus, rogati sumus manere apud eos dies septem, et sic venimus Romam. — 15. Et inde cum audissent fratres, occurrerunt nobis usque ad Appii Forum ac Tres Tabernas (1); quos cum vidisset Paulus, gratias agens Deo, accepit fiduciam. — 16. Cum autem venissemus Romam, (2) permissum est Paulo manere sibimet cum custodiente se milite. — 17. Post tertium autem diem convocavit primos Judaeorum. Cumque convenissent, dicebat eis: Ego, viri fratres, nihil adversus plebem faciens, aut morem paternum, vinctus ab Jerosolymis traditus sum in manus Romanorum — 18. qui cum interrogationem de me habuissent, voluerunt me dimittere, eo quod nulla esset causa mortis in me. — 19. Contradicentibus autem Judaeis. coactus sum appellare Caesarem, non quasi gentem meam habens aliquid accusare. — 20. Propter hanc igitur causam rogavi vos videre, et alloqui. Propter spem enim Israel catenâ hac circumdatus sum. — 21. At illi dixerunt ad eum: Nos neque litteras accepimus de te a Judaeâ, neque adveniens aliquis fratrum nuntiavit, aut locutus est quid de te malum. — 22. Rogamus autem a te audire. quae sentis: nam de sectâ hac notum est nobis, quia ubique ei contradicitur. — 23. Cum constituissent autem illi diem, venerunt ad eum in hospitium plurimi, quibus exponebat testificans regnum Dei, suadensque eis de Jesu ex Lege Moysi et Prophetis, a mane usque ad vesperam. — 24. Et quidam credebant his quae dicebantur: quidam vero non credebant. — 25. Cumque invicem non essent consentientes, discedebant, dicente Paulo unum verbum: Quia bene Spiritus sanctus locutus est per Isaiam prophetam ad patres nostros, — 26. dicens: Vade ad populum istum. et dic ad eos: Aure

(1) *Appii Forum* — Fossanova; *Tres Tabernae* — Cisterna in via Appia prope paludes Pomptinas: notae viatorum « stationes ».

(2) Hic graeci codd. plerique interponunt: ὁ δὲ ἑκατόνταρχος παρέδωκεν τοὺς δεσμίους τ�ῳ στρατοπεδάρχῃ « centurio tradidit captivos praefecto castrorum ».

audietis, et non intelligetis: et videntes videbitis, et non perspicietis. — 27. Incrassatum est enim cor populi huius, et auribus graviter audierunt, et oculos suos compresserunt : ne forte videant oculis, et auribus audiant, et corde intelligant, et convertantur, et sanem eos. — 28. Notum ergo sit vobis, quoniam Gentibus missum est hoc salutare Dei, et ipsi audient. — 29. Et cum haec dixisset, exierunt ab eo Judaei, multam habentes inter se quaestionem. — 30. Mansit autem biennio toto in suo conducto; et suscipiebat omnes, qui ingrediebantur ad eum. — 31. Praedicans regnum Dei, et docens quae sunt de Domino Jesu Christo, cum omni fiducia, sine prohibitione ».

43. Notanda (*a*). — Ex verbis judaeorum ad Paulum — « rogamus autem a te audire quae sentis (de christianismo) ; nam de sectâ hac notum est nobis quia ubique ei contradicitur » — aliquid contra praelatam de Suetonii testimonio sententiam argui posse, primâ fronte, videtur. Etenim judaei romani de christianâ religione quasi de sectâ omnino aliena et longinquâ loquuntur, de qua hoc tantum sciunt quod ei ubique (a Synagoga) contradicitur : quomodo ergo hoc conciliari potest cum illa interpretatione suetonianâ juxta quam in romanâ synagogâ, Claudii tempore, judaei propter internam de Christo contentionem « assidue tumultuantes » fuerint ? Duplici consideratione hoc fieri debet. — Primo : expulsio judaeorum claudiana decennio fere anterior erat ; attentis ambitûs circumstantiis, naturalis consequentia illorum tumultuum fuit quod, remeantibus Romam judaeis et judaeo-christianis, omnimoda separatio inter christianos et judaeos non christianos haberetur, singulis proprio intuitu consulentibus ne iterum dissensio et tumultus et nova omnium expulsio tandem adveniret. Quoad christianos, vero, ipsi a synagogâ omnino recesserant, cum experientia eos de inutilitate periculi tentandi conversionem synagogae collectivam plene docuisset : et Paulus hac experientiâ cito edoctus, idem sentire et pronunciare coactus est, uti supra legimus. Hinc factum est quod romana synagoga, christianis recedentibus, de christianismo nec multum nec proxime *tunc* scire posset.

Secundo : Judaeorum ad Paulum interrogatio praecipue externam quamdam quaestionem respicit ; nempe ipsi a confratre conspicuo et circa rem edocto scire cupiebant, quomodo quibus causis et circumstantiis « ubi-

que » (nempe, praesertim in Oriente ubi plurimi judaei et proselyti ex unâ parte, atque ex aliâ christiani frequentiores commorabantur) christianae sectae contradiceretur : — quin ex iis verbis certo argui possit judaeos illos romanos de christianismo cetera omnia penitus ignorasse.

44. (*b*) — Quoad rationem custodiae qua Paulus tenebatur, notare iuvat triplicis generis custodiam apud romanos fuisse : *publicam*, si reus in publico carcere vinctus tenebatur ; *liberam*, quae concedebatur viris nobilioribus, quibus in domo civis cuiusdam morari licebat ; *militarem*, in qua vinctus poterat illic quidem habitare ubi libuisset, sed catenâ ad militem custodientem ligatus erat. Porro postremâ hac custodiâ Paulum afflictum fuisse patet ex verbis *Actuum*. Milites autem erant non ii a quibus Romam deductus erat, sed praetoriani sibi vices dantes. Nam primo statim adventu, ut etiam comprobatur illis verbis, qui in graecis codicibus v. 16 interponuntur, praefecto praetorio sistendus erat, ad quem custodia accusatorum apud imperatorem discutiendorum spectabat (1).

45. (*c*) — Domicilium Pauli Lucas primo quidem ξενίαν i. e. hospitium (v. 23) vocat ; postea μίσθωμα i. e. conductum seu habitationem locaticiam (v. 30). Hinc Paulus initio quidem apud amicum aliquem vel alium ex fratribus romanis hospitio exceptus esse videtur ; deinde vero, ne hospiti oneri esset atque ipse maiore cum libertate omnes quicunque eum convenire cuperent, excipere posset, propriam domum vel habitaculum suis sumptibus conduxisse.

46. (*d*) — Illud demum quaeri potest, quî factum sit, ut causa Apostoli, quem Felix et Festus praesides et rex Agrippa (2) insontem iudicaverant, per totum biennium protraheretur. Sed iam in Palaestinâ causa eius ultra biennium ducebatur, rationemque Lucas aperte indicat cum dicit Festum sperasse, quod pecunia ei daretur a Paulo (3). Causae deinde quae apud Caesarem agebantur prorsus a lubitu principis pendebant et

(1) Graecam vocem στρατοπεδάρχης vetus quaedam latina versio, quae exstat in codice seculi XIII, vertit princeps castrorum, quae, ut patet, non est nisi translatio litteralis. Quia autem princeps castrorum erat titulus praefecti castrorum peregrinorum in Coelio Monte, Harnack et Mommsen (Sitzungsberichte etc. Berlin, 30 März 1896) conieceruut, interpretem antiquâ traditione usum esse iuxta quam Paulus forte in iis castris custoditus fuerit. Sed haec coniectura parum verisimilitudinis habet, maxime quod castrorum peregrinorum ante Alexandrum Severum nulla mentio occurrit.

(2) *Act.* xxvi, 31, 32.

(3) *Act.* xxiv, 26.

solum posteriores imperatores, praesertim christiani, legibus consuluerunt ut negotia apud comitatum citius expedirentur. Neronem praesertim constat, ut in aliis rebus, etiam in iure dicendo desidem quam maxime fuisse. Huc accedit, quod defensori multoque minus reo nihil suppetebat quod cursum negotii acceleraret, dum e contra accusatoribus rem trahendi larga copia erat. Scilicet iudaeis Pauli adversariis id quam maxime curae esse debuit, ut Paulus quam diutissime involuntario otio detineretur, quod ita propagationem evangelii retardari sperarent. Praeterea notandum est illud quod Suetonius (1) narrat de iuris dictione Neronis : « In iuris dictione postulatoribus nisi sequenti die ac per libellos non temere respondit. Cognoscendi morem eum tenuit, ut continuis actionibus omissis, singillatim quaeque per vices ageret ». Idest, si qua actio pluribus capitibus constabat, singula seorsim discutiebat, nec ad alterum actionis caput transibat donec prius penitus absolutum esset. Ex hoc autem fiebat, ut iidem testes pluries accersendi essent, et quidem in casu Pauli ex longinquis Palaestinae aliisque Orientis regionibus. Haec satis superque declarant quare biennio toto Paulus vinctus teneretur, antequam liberaretur.

47. (*e*) — Liberatus enim est, ut ipse fatetur in II ad Timotheum (2); et ceterum et Lucas hic innuit, narrationem repente abrumpens. Post libertatem adeptam Paulus in Hispaniam et inde iterum in Orientem contendit. Hispanicum iter fragmentum Muratorianum disertis verbis, Clemens Romanus non obscure testatur. Hic enim Paulum « ad Occidentis terminos (ἐπὶ τὸ τέρμα τῆς δύσεως) » venisse narrat (3); auctor vero illius fragmenti, postquam de libro Actuum Lucae mentionem fecit, eum praeter passionem Petri, « sed et profectionem Pauli ab urbe ad Spaniam proficiscentis » evidenter declarasse tradit.

### C. *Pauli epistolae romanae.*

48. Paulus, *Philipp.* : « *i*, 7... sicut est mihi iustum hoc sentire pro omnibus vobis, eo quod habeam vos in corde et in vinculis meis et in defensione et confirmatione evangelii socios gaudii mei omnes vos esse... 12. Scire autem vos volo, fratres, quia quae circa me sunt magis ad profectum venerunt

(1) Suetonius, *Nero*, 15

(2) Ep. ad Cor. v, 7.

(3) Apud Preuschen : Analekta, Kürzere Texte zur Geschichte der alten Kirche und des Kanons — Freiburg i. B., Mohr 1893, p. 131, lin. 38, 39.

evangelii, 13. ita ut vincula mea manifesta fierent in omni praetorio (1) et in ceteris omnibus, 14. et plures e fratribus in Domino, confidentes vinculis meis, abundantius auderent sine timore, verbum Dei loqui. 15. Quidam quidem et propter invidiam et contentionem, quidam autem et propter bonam voluntatem Christum praedicant; 16. quidam ex caritate, scientes quoniam in defensionem evangelii positus sum, 17. quidam autem ex contentione Christum annuntiant non sincere, existimantes pressuram se suscitare vinculis meis. 18. Quid enim? dum omni modo, sive per occasionem (2) sive per veritatem Christus annuntietur, et in hoc gaudeo, sed et gaudebo... 25. Et hoc confidens scio quia manebo et permanebo omnibus vobis ad profectum vestrum et gaudium fidei, 26. ut gratulatio vestra abundet in Christo Iesu in me per meum adventum iterum ad vos...

*ii*, 19. Spero autem in Domino Iesu Timotheum me cito mittere ad vos, ut et ego bono animo sim cognitis quae circa vos sunt 20. Neminem enim habeo tam unanimem, qui sincera affectione pro vobis sollicitus sit; 21. omnes enim quae sua sunt quaerunt, non quae sunt Iesu Christi. 22. Experimentum autem eius cognoscite quia sicut patri filius mecum servivit in evangelio. 23. Hunc igitur spero me mittere ad vos, mox ut videro quae circa me sunt. 24. Confido autem in Domino, quoniam et ipse veniam ad vos cito. 25. Necessarium autem existimavi, Epaphroditum fratrem et cooperatorem et commilitonem meum, vestrum autem apostolum (3) et ministrum necessitatis meae, mittere ad vos, 26. quoniam quidem omnes vos desiderabat et moestus erat propterea quod audieratis illum infirmatum. 27. Nam et infirmatus est usque ad mortem; sed Deus misertus est eius, non solum autem eius,

(1) Graece ἐν ὅλῳ τῷ πραιτωρίῳ i. e. in toto praetorio; nam cum praetoriani milites in custodia Pauli sibi vices darent, paulatim omnes Paulum cognoscendi cum eoque colloquendi occasionem habuerunt.

(2) Graece προφάσει i. e. sub praetextu praedicandi evangelii tantum volunt mihi negotia facessere.

(3) i. e. missum, legatum; a Philippensibus enim Romam cum donis ad sublevandam Pauli captivitatem missus erat (infra iv, 18).

verum etiam et mei, ne tristitiam super tristitiam haberem. 28. Festinantius ergo misi illum, ut viso eo iterum gaudeatis et ego sine tristitia sim. 29. Excipite itaque illum cum omni gaudio in Domino et eiusmodi cum honore habetote. 30. quoniam propter opus Christi usque ad mortem accessit, tradens animam suam, ut impleret id quod ex vobis deerat erga meum obsequium.

*iv*, 10. Gavisus sum autem in Domino vehementer, quoniam tandem aliquando refloruistis pro me sentire, sicut et sentiebatis, occupati autem eratis. 11. Non quasi propter penuriam dico; ego enim didici in quibus sum sufficiens esse.. 14. Verum tamen bene fecistis communicantes tribulationi meae... 18. Habeo autem omnia et abundo; repletus sum acceptis ab Epaphrodito quae misistis, odorem suavitatis hostiam acceptam, placentem Deo .. 22. Salutant vos qui mecum sunt fratres. Salutant vos omnes sancti, maxime qui de Caesaris domo sunt. »

In codd. graecis plerisque additur ad calcem: « Ad Philippenses scripta est Româ per Epaphroditum ».

49. Paulus, *Ephes.*: « *iii*, 1. Huius rei gratia ego Paulus, vinctus Christi Iesu pro vobis gentibus (1).... — 13. Propter quod peto, ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis, quae est gloria vestra.

*vi*, 19. (Orantes) et pro me, ut detur mihi sermo in apertione oris mei cum fiducia notum facere mysterium evangelii, 20. pro quo legatione fungor in catenâ, ita ut in ipso audeam, prout oportet me loqui. 21. Ut autem et vos sciatis quae circa me sunt, quid agam, omnia vobis nota faciet Tychicus, carissimus frater et fidelis minister in Domino, 22. quem misi ad vos in hoc ipsum, ut cognoscatis quae circa nos sunt et consoletur corda vestra ».

---

(1) Tribulationes, quas Paulus patiebatur, ideo ei supervenerunt, quia gentilibus fidem in Christum annuntiabat eosque eiusdem gratiae cum iudaeis participes reddebat. Cf. *Act.*, xiii, 45; xvii, 5, 13; xxi 21, 28, 29; xxiv, 6. Praesertim tumultus ille in templo hierosolymitano excitatus est, quia iudaei putabant, Paulum introduxisse in templum Trophimum ephesium, quem antea unâ cum eo in civitate viderant.

Codd. graeci plerique addunt: « Ad Ephesios scripta est Româ per Tychicum ».

50. Paulus, *Coloss.*: « *i*, 1. Paulus apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei et Timotheus frater....

*iv*, 7. Quae circa me sunt, omnia vobis nota faciet Tychicus, carissimus frater et fidelis minister et conservus in Domino, 8. quem misi ad vos ad hoc ipsum, ut cognoscat quae circa nos sunt et consoletur corda vestra, 9. cum Onesimo carissimo et fideli fratre, qui ex vobis est. Omnia quae hic aguntur nota facient vobis. 10. Salutat vos Aristarchus, concaptivus meus, et Marcus consobrinus Barnabae, de quo accepistis mandata (si venerit ad vos, excipite illum), 11. et Iesus qui dicitur Iustus, qui sunt ex circumcisione: hi soli sunt adiutores mei in regno Dei, qui mihi fuerunt solatio. 12. Salutat vos Epaphras qui ex vobis est, servus Christi Iesu. semper sollicitus pro vobis in orationibus, ut stetis perfecti et pleni in omni voluntate Dei... 14. Salutat vos Lucas, medicus carissimus, et Demas... 18. Salutatio mea manu Pauli. Memores estote vinculorum meorum... »

In graecis codd. plerisque additur ad calcem: « Ad Colossenses scripta est Româ per Tychicum et Onesimum ».

51. Paulus, *Philem.*: « 1. Paulus, vinctus Christi Iesu et Timotheus frater Philemoni... 8. Propter quod multam fiduciam habens in Christo Iesu imperandi tibi quod ad rem pertinet, 9. propter caritatem magis obsecro, quum sis talis ut Paulus senex, nunc autem et vinctus Iesu Christi. 10. Obsecro te pro meo filio, quem genui in vinculis, Onesimo, 11. qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc autem et mihi et tibi utilis, 12. quem remisi tibi. Tu autem illum ut mea viscera suscipe. 13. Quem ego volueram mecum detinere, ut pro te mihi ministraret in vinculis evangelii; 17. sine consilio autem tuo nihil volui facere, uti ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium. 15. Forsitan enim ideo discessit ad horam a te, ut aeternum illum reciperes, 16. iam non ut ser-

vum, sed pro servo carissimum fratrem, maxime mihi, quanto autem magis tibi, et in carne et in Domino. 17. Si ergo habes me socium, suscipe illum sicut me ; 18. si autem aliquid nocuit tibi aut debet, hoc mihi imputa. 19. Ego Paulus scripsi meâ manu, ego reddam : ut non dicam tibi, quod et teipsum mihi debes. 20. Ita, frater, ego te fruar in Domino ; refice viscera mea in Domino... 22. Simul autem et para mihi hospitium ; nam spero per orationes vestras donari me vobis. 23. Salutat te Epaphras concaptivus meus in Christo Iesu, 24. Marcus, Aristarchus, Demas et Lucas adiutores mei ».

In codd. graecis additur : « Ad Philemonem scripta est per Onesimum servum ».

52. N o t a n d a. — Quatuor hae epistolae ex captivitate datae sunt ; posteriores tres eodem tempore scriptae atque per eumdem Tychicum perlatae ; prima, quae est ad Philippenses, alio tempore data est et per Epaphroditum quem illi ad Paulum cum subsidiis destinaverant, perlata.

Utrum haec prior sit illis (1) tribus an secus, non facile statui potest. Certum est, omnes datas fuisse cum captivitas iam diu durasset et spes proximae libertatis affulgeret. In omnibus enim Paulus spem manifestat, se mox ad eos, quibus scribit, adventurum esse, imo Philemonem colossensem monet, ut hospitium sibi paret. Certe in tribus posterioribus fidentius de fine captivitatis loquitur, dum Philippensibus adventum suum promittit, mox ut viderit quid de se ageretur. Quia autem ibi Philippensibus gratias agit, quod *tandem aliquando* recordati sunt egestatis eius atque per Epaphroditum eum recreaverunt, et ille Romae diu ad mortem infirmus iacuerat, cuius rei nuntius Philippos pervenerat, atque fideles illius civitatis iterum literas ad Paulum dederant, ad quae omnia unus annus prorsus non sufficit, non est improbabile hanc posteriorem esse.

53. Porro in quanam captivitate scriptae sunt ?

Cum de diuturnâ agatur, inter eas, quas in Actis Lucas commemorat, duae solum ad rem faciunt : caesariensis sub Felice primum, deinde Festo praesidibus (2), et romana cum ad Caesarem appellasset (3). Iam-

(1) Zahn, Einleitung in d. N. T., p. 644 sqq. epistolam ad Philippenses aestate secundi anni captivitatis (a. 63), scriptam esse vult, dum tres alias anno ante datas esse autumat.

(2) *Act.*, xxiii, xiv.

(3) *Act.*, xxv. 10 sqq.

vero, ad epistolam ad Philippenses, quod attinet, cum Paulus salutationes eorum « qui de Caesaris domo sunt » (iv, 22) scribat, nemo prudens negabit, Româ datam esse ; id quod confirmatur per antiquam traditionem. Eadem antiqua traditio alias tres ministerio Tychici et Onesimi perlatas Romae conscriptas esse perhibet, licet nullum argumentum internum (ut vocant) suffragetur, verum neque quidquam veritati traditionis refragatur. Quod enim Onesimus, servus Philemonis fugitivus, facilius Caesaream quam Romam aufugere poterat, nihil probat ; immo probabilius Romam fugisse credendus est, quia ibi securior latebat. Verum hac de re fusius apud commentatores.

54. Ad occasionem quod attinet harum epistolarum scribendarum, ea quae ad Philippenses est, scripta est occasione reditûs Epaphroditi. Reliquas tres Paulus scripsit, cum Tychicum et Onesimum in Asiam mitteret, hunc ut ad Philemonem, herum, rediret, illum eo consilio ut asianas ecclesias inviseret, easdem de rebus Pauli certiores faceret atque consolaretur (*Eph.*, iii, 22). Eidem etiam ad Laodicenses epistolam concredidit, quae tamen intercidit (*Col.*, iv, 16).

55. De Pauli commoratione in Urbe, quid egerit, quid passus sit, praesertim de eius defensione apud Caesarem, nihil fere ex his epistolis eruitur. Ea, utpote minoris momenti, fidelibus comitibus et sociis Tychico et Epaphrodito, epistolarum latoribus fusius narranda reliquit : ipsi doctrinae et morum christianorum monita magis curae erant. Verum nonnulla tamen satis aperte indicantur.

Nomina, imprimis, quorumdam, qui vel cum Paulo vel ante aut post ipsum Romam advenerant, memoriae prodita sunt. Timotheus quidem, Lucas, Aristarchus, Tychicus Apostolum iam inde a Macedonia proficiscentem comitati sunt (*Act.*, xx, 4 ; cf. xxvii, 2) ; reliqui : Marcus Barnabae consobrinus, Iesus qui dicitur Iustus, Epaphras, Demas, quando Paulo adiuncti sint, non apparet. Ex *Actibus*, xxvii, 2 videtur sequi, nullum alium, praeter supra et ibi memoratos Caesareâ Romam proficiscenti sese applicuisse.

Marcus in primis apostolicis Pauli peregrinationibus, unà cum Barnaba socius fuit. Postea vero, cum Barnabas a Paulo discessisset, illum quocum sanguinis necessitudine coniunctus erat, sequi maluit (*Act.*, xv, 39). Porro Marcus hic idem est ac evangelista, quem comitem et interpretem Petri fuisse Eusebius ex Papia et Clemente Alexandrino tradit (*H. E.*, II, xiv). Quodsi Marcus unà cum Paulo Romae fuit, aut post ipsum Petri comes advenit, aut (quod unice verum esse videtur) iam antea advenerat

atque a Petro post tempus relictus fuerat, eiusdem vices acturus. Hinc opinio, qua Petrus adhuc sub Claudio Romam ad tempus venerat, novo indicio confirmatur. Epaphroditus, uti dictum est, longe post advenit, missus a Philippensibus Pauli inopiae subsidia ferens. Onesimus autem Romae tandem, probabiliter cum in Caesaris domo servitium quaesivisset, a Paulo agnitus ut servus Philemonis colossensis, quem Ephesi fortasse noverat et baptizaverat — Colossas enim Paulus ipse per se non venerat (*Col.*, ii, 1) — fide eruditus et baptizatus est. Huius obsequio Paulus initio uti ad sublevandam captivitatis miseriam, domini consensum praesumens, statuerat. Verum, re melius perpensâ, ne obsequium illud Philemonis velut necessitate extortum videretur, servum eidem remittere maluit, intercedens pro eo, ne ob fugam durius haberetur, imo ut herus eumdem nunc tanquam fratrem in Christo amplexaretur, promittens insuper, se restituturum esse, si quid eidem ab illo deberetur.

56. Denique in epistolâ ad Philippenses mentio fit fratrum « qui de Caesaris domo sunt ». Ex quo liquet iam tum in domo Caesaris non paucos christianae fidei nomen dedisse.

Quodsi quaeratur cuius generis ii fuerint, procul dubio libertinae servilisque conditionis, maximâ saltem ex parte, fuisse putandum est. Nam si recolamus ea quae supra, ubi de epistola ad Romanos agebatur, diximus, de iis qui sunt ex Aristoboli et Narcissi domo (n. 34), maxime probabile est, per hos, cum in Caesaris dominium transissent, evangelium etiam inter reliquos conservos propagatum esse. Ceterum certum est, tunc temporis praesertim inter libertos et servos, praeter alia externa sacra, iudaismum multos habuisse proselytos, idque iam inde a Tiberii temporibus. Ex horum porro numero, ut alibi, et Romae multi ad fidem in Christum conversi sunt. Utrum iam tum etiam altioris ordinis domûs Augustae ministri aut familiares cognative Imperatoris christianam religionem sectati sint, ex hoc loco neque affirmari neque negari licet.

57. Illud deinde ex his epistolis eruitur, Paulum minime neglexisse occasionem praedicandi evangelii. Immo illud maxime captivitatem ei non tolerabilem modo sed dulcem et iucundam reddebat, quod vincula eius « magis ad profectum venerunt evangelii », immo in catenâ, qua tenebatur videbatur sibi velut « legatione fungi pro evangelio » et ideo ab Ephesiis petit, ut suis eum orationibus adiuvent, « ut detur ei sermo in apertione oris, cum fiducia notum facere mysterium evangelii ». Ii autem, qui maxime Pauli zelum et curam experti sunt, erant praetoriani milites, a quibus per vices custodiebatur. Inde enim factum est, ut pedetentim totum

fere praetorium Paulum nosceret, qui certe nihil praetermisit, quominus in militibus illis, rudibus quidem sed simplicibus et sinceris, fidei semina iaceret, quae, si non in omnibus, in aliquibus certe (iisque, ut videtur, non paucis) germinarent et crescerent.

58. Exemplo Apostoli et successu permoti, multi alii fratres, maiore cum fiduciâ et alacritate operi evangelico instare coeperunt. Notandum quod Paulus eos id fecisse dicit « confidentes vinculis meis ». Quibus verbis, ni fallimur, hoc exprimere voluit, discipulos tunc primum *in publico* Christi doctrinam spargere coepisse, eo quod per captivitatem Pauli tunc nominis christiani notitia, si non prima, certe clara, ad magistratus Urbis pervenit atque ita magis magisque in vulgus pervadebat, cum antea privatim potius inter iudaeos, proselytos et eos qui cum illis cognationis, amicitiae, negotiorum, operae necessitudine iuncti erant, evangelium praedicari soleret.

Verum in hoc praedicationis genere non omnia recte procedebant. Conqueritur enim Paulus, quod quidam quidem praedicabant Christum « propter invidiam et contentionem » (*Phil.*, i, 15), idque magis aperte paulo infra declarat, addens eos id facere « non sincere, existimantes se pressuram suscitare vinculis meis » (ib. 17). Ad easdem contentionem et invidiam alludit Apostolus in epistola ad Colossenses, ubi de Aristarcho, Marco et Iesu cognomento Iusto scribens ait: « Hi soli sunt adiutores mei in regno Dei, qui mihi fuerunt solatio » (*Col.*, iv, 11).

Cuiusmodi fuerint hae invidiosae contentiones, inquirere operae pretium est. Primâ fronte videri posset, fuisse solitas contentiones doctrinales inter iudaizantes et liberiores illos qui Paulum praesertim sectabantur. Sed hoc omnino excludendum est. Si enim dissensiones circa doctrinam, et quidem in re quam Paulus tanti faciebat, causa fuissent contentionis et invidiae, nequaquam rem tam aequo animo tulisset, ut scriberet, se nihilominus gaudere et gavisurum esse, dummodo quocunque modo « sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuntietur » (*Phil.*, i, 18).

Immo ex his verbis potius sequitur, doctrinam perturbatorum illorum sanam rectamque fuisse, nam utrique, tum illi qui ex caritate, tum qui ex contentione praedicabant, Christum annuntiabant, quod in more loquendi Apostoli significat doctrinam veram fuisse. Huc accedit, quod in epistolâ ad Colossen. praecise laudantur Marcus et Iesus Iustus, iudaei genere, quod unâ cum Aristarcho soli fuissent Apostolo solatio; cum ma-

xime in eos suspicio cadere deberet illarum contentionum, si ex iudaismo ortae essent.

Restat igitur, ut contentionem invidiamque ex quadam aemulatione inter discipulos ortas esse putemus, seu, ut hodie diceremus, ex rationibus personalibus. Facillime enim fieri potuit, ut, supervenientibus comitibus Pauli, ii qui antea Romae operi propagandae fidei incumbebant, aegre ferrent, quod illi sese eidem negotio ingererent, cuius rei invidia partim in Apostolum ipsum recidebat. Hinc rursum evenire potuit, ut pars fidelium animis a Paulo averterentur, atque ita ille acerbius vinculorum pressuram sentiret. An forte verba illa : « existimantes se pressuram suscitare vinculis meis » id sibi volunt, quod quidam, nescio qua de causà, Apostolo infensi, idcirco audaciores erant in evangelio praedicando, ut exinde acrius exardesceret ira et odium iudaeorum, qui deinde modis omnibus Paulum persequi studebant ? Quidquid sit — nam nihil certi et determinati ex Apostoli verbis eruitur — contentio et invidia, de qua Paulus conqueritur, fidem doctrinamque non respiciebant.

* * *

59. Paulus, *II Tim.*, « *i*. 8. Noli itaque erubescere testimonium Domini nostri, neque me vinctum eius... 16. Det misericordiam Dominus Onesiphori domui, quia saepe me refrigeravit et catenam meam non erubuit, 17. sed quum Romam venisset, sollicite me quaesivit et invenit. 18. Det illi Dominus invenire misericordiam a Domino in illa die. Et quanta Ephesi ministravit mihi, tu melius nosti...

*ii*, 9. in quo (evangelio).... laboro usque ad vincula quasi male operans (1); sed verbum Dei non est alligatum. 10. Ideo omnia sustineo propter electos...

*iv*, 6. Ego enim iam delibor et tempus resolutionis meae instat.... 8... Festina ad me venire cito. 9. Demas enim me reliquit, diligens hoc saeculum et abiit Thessalonicam, 10. Crescens in Galatiam, Titus in Dalmatiam. 11. Lucas est mecum solus. Marcum assume et adduc tecum ; est enim mihi utilis in ministerium. 12. Tychicum autem misi Ephesum. 13. Pe-

(1) ὡς κακοῦργος, ut malefactor.

nulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum et libros, maxime autem membranas. 14. Alexander aerarius multa mala mihi ostendit: reddet illi Dominus secundum opera eius; 15. quem et tu devita; valde enim restitit verbis nostris. 16. In primâ meâ defensione nemo mihi affuit, sed omnes me dereliquerunt (non illis imputetur). 17. Dominus autem mihi astitit et confortavit me, ut per me praedicatio impleatur et audiant omnes gentes, et liberatus sum de ore leonis. 18. Liberavit (1) me Dominus ab omni opere malo et salvum faciet in regnum suum coeleste, cui gloria in saecula saeculorum. Amen. 19. Saluta Priscam et Aquilam et Onesiphori domum. 20. Erastus remansit Corinthi, Trophimum autem reliqui infirmum Mileti. 21. Festina ante hiemem venire. Salutant te Eubulus et Pudens et Linus et Claudia et fratres omnes ».

In codd. graecis ad calcem additur: « Secunda ad Timotheum, Ephesiorum ecclesiae primum ordinatum episcopum, scripta est Româ, cum secundo Paulus stetit coram Caesare Nerone ».

60. Notanda. — Timotheus ex omnibus discipulis sociisque apostolicarum peregrinationum Paulo carissimus erat. Is eumdem Apostolum a Macedoniâ usque Ierusalem comitatus erat. Cum eodem Romam venerat, nam epistolam ad Philippenses Paulus etiam Timothei nomine scripsit. In eadem epistola Apostolus promittit, se eundem Timotheum Philippos cito missurum esse, ut per eum cognoscat quo pacto res eorum se habeant (*Phil.*, ii, 19). Non ante autem eum mittere volebat quam scivisset quid de se ageretur (ib. 23). Igitur non nisi ad finem vergente primâ captivitate romanâ, si unquam, Philippos Timotheus missus est.

Porro secunda haec ad Timotheum epistola ex captivitate scripta est. Se enim vocat vinctum Christi (i, 8) et alias meminit vinculorum suorum (i, 16; ii, 9). Deinde Romae scripta est, ut ipse Paulus expresse dicit, de Onesiphoro scribens, qui cum Romam venisset, sollicite Apostolum quaesivit, invenit, refrigeravit. Iamvero in qua captivitate romanâ epistola scripta est? Non certe in primâ illâ. Nam, ut mox diximus Timotheus in ea captivitate fere usque ad finem Romae manserat atque tunc

(1) Graece ῥύσεται, liberabit.

demum Philippos forsitan missus est. Epistola autem haec Ephesum destinata est, ubi Paulus Timotheum reliquerat (*I Tim.*, i, 3). Sed ante captivitatem romanam Timotheus non erat relictus Ephesi, sed cum Paulo Romam venit. Deinde in eadem hac epistola secunda (iv, 20) Apostolus dicit se reliquisse Trophimum infirmum Mileti ; atqui idem Trophimus postridie quam Paulus Ierosolymam venerat, unà cum Apostolo in civitate, visus erat causaque fuit tumultus illius ob quem idem Caesareae primum, Romae deinde captivus tenebatur (*Act.*, xxi, 29). Igitur ex his aliisque rationum momentis concluditur, alteram hanc ad Timotheum epistolam Romae datam esse ab Apostolo, cum secundo in ea urbe captivus teneretur, uti recte notatur in additamento codicum graecorum. Inter utramque captivitatem intersunt varia itinera per Asiam (« reliqui te Ephesi, *I Tim.*, i, 3), in Macedoniam (ibidem) et Graeciam (iv, 20) et maritimum fortasse secundum litus Asiae Minoris versus Syriam aut Palaestinam (« Trophimum reliqui infirmum Mileti, *II Tim.*, iv, 20 ; cf. iii, 11), in Cretam insulam (*Tit.*, i, 5) ; valde probabiliter etiam iter hispanicum. Ad quae itinera certe complures anni necessarii erant. Sive ergo primum Pauli adventum in urbem in annum 62, sive in annum 63 referimus, Apostolus tempore incendii quo tota fere urbs concremata est, et persecutionis inde ortae, Romae non adfuit. Porro epistola ante aestatem anni christiani 66 vix scripta est.

61. — Quid vero causae fuerit novae huius captivitatis, ex verbis, epistolae erui prorsus nequit. Generali tantum modo innuitur evangelium, seu verbum Dei, causam fuisse. Notanda tamen sunt verba illa : « In quo (evangelio) positus sum ego praedicator et apostolus et magister gentium. Ob quam causam et haec patior » (i, 11 ; 12). Ex quibus non immerito coniicimus apostolatum gentium, uti in prima captivitate (cf. *ad Eph.*, iii, 1 et notam adiectam) ita et in hac occasionem fuisse persecutionum ex parte iudaeorum, qui eum romanis magistratibus tradiderunt. Nihil vero cognoscimus, utrum iam vinctus Romam adductus sit, uti ante, an Romam liber ingressus ac apostolico munere functus per aliquantum temporis, deinde in vincula coniectus sit.

62. Maioris momenti esse videtur illud, quod dicit, se usque ad vincula laborare, quasi male operantem, ὡς κακοῦργος, i. e. ut hominem scelestum, flagitiosum. Num inimici, cum aliter Paulum perdere non possent, crimina quaedam commenti sunt, quorum eum accusaverunt ? Res sane non est valde a veritate aliena. Paulo enim ante, cum incendiarii urbis quaererentur, christiani, « per flagitia invisi » ut ait Tacitus

(*Ann.*, XV, xliv), crudelissimis poenis affecti sunt. Nil mirum, si iudaei infensissimi Pauli inimici, illa hecatombe edocti, simile quid in eum machinati sunt. Quod crimen porro Apostolo affinxerint non datur intelligi.

63. Certe etiam hac vice causa in longum trahebatur. Nam cum Onesiphorus Romam venisset, Paulus iam vinctus erat. Deinde, cum scriberet, iam primam defensionem sustinuerat atque absolutus erat (iv, 16 ; 17). Sunt quidem qui primam hanc defensionem eam fuisse putant, cum prima vice Romam ductus esset. Verum de illa defensione Paulus nihil Timotheo scribere debuit, quippe qui eius tunc socius fuit ; neque verum esset, omnes tunc Apostolum dereliquisse, uti hic conqueritur. Sed primam defensionem putare debemus in secundâ hac romanâ captivitate. Porro causa quae tunc agebatur, capitalis erat ; dicit enim : « et liberatus sum de ore leonis » (iv, 17), quae verba in more loquendi hebraeorum (uti saepe in Psalmis) liberationem a morte, vel ab inferis, i. e. loco mortuis destinato, significant.

64. Quod si liberatus tunc est a morte, non tamen absolutus et in libertatem missus esse videtur. Nihil enim indicat interruptionem captivitatis, sed causa Apostoli post primam cognitionem in aliud tempus dilata est, uti iam in primâ captivitate romanâ contigerat. Paulus certe captivitatem suam diuturnam adhuc fore praevidet. Ideo rogat discipulum suum ut cito Romam veniat (iv, 8) et quidem adhuc ante hiemem (21). Marcum quoque cum Timotheo venire vult, quippe qui ei utilis sit in ministerio (iv, 11). Praeterea membranas et libros necnon paenulam, quam Troade apud Carpum reliquerat ut sibi afferrentur rogat (iv, 13). Quae omnia indicant, satis longum tempus sibi Romae superfore Apostolum existimasse. Verum de propinqua morte fere certus erat, ut produnt verba illa : « ego enim iam delibor et tempus resolutionis meae instat » (iv, 6). Martyrii futuri vero nullam mentionem, ne alludendo quidem, facit ; immo spem habuisse videtur, se tandem libertate donatum iri (iv, 18).

Praeter ea nihil aliud de persecutionibus quas patiebatur, significat. Tantummodo unum ex acerrimis suis inimicis nominat, Alexandrum aerarium qui multa Apostolo mala intulit, valdeque verbis eius restitit (iv, 14, 15). Erat is certe homo Timotheo notus, forsitan iam ex tempore primae Pauli in urbe captivitatis. Eum Timotheus quoque devitare iubetur. Interpretes complures eumdem esse putant ac Alexandrum illum Pauli comitem Ephesi tempore tumultûs illius a Demetrio argentario contra Apostolum excitati, iudaeum genere, (*Act.*, xix, 33), quem item Paulus, in prima ad Timothēum, una cum Hymenaeo, quod circa fidem naufragavissent, se tradisse Satanae scribit (*I Tim.*, i, 19, 20).

Quoniam ibi Alexander una cum Hymenaeo nominatur, veri simile est eum consensisse cum eodem de errore circa resurrectionem, quam ille et Philetus iam factam esse affirmabat, ut Paulus in hac epistola scribit (ii, 17, 18) qui etiam sequaces erroris sui invenerunt, forsitan etiam Romae, ubi Alexander tam acriter Pauli doctrinam oppugnabat.

65. De antiquis comitibus discipulisque quasdam notitias necnon quorumdam romanorum fidelium nomina ex hac epistola discimus. Unicus ex antiquis sociis apud Paulum Lucas remanserat (iv, 11). Tychicum, ut iam in prima romana captivitate etiam in hac altera Ephesum misit, forsitan eiusdem epistolae latorem. Demas, qui etiam in priore romana captivitate cum Paulo fuerat, « diligens hoc saeculum » idest aerumnas et angustias quas Apostolis societas ferebat diutius tolerare nolens aut temporalia commoda sectans, Thessalonicam, relicto Paulo, contenderat. Crescentem et Titum in Dalmatiam hunc in Galatiam illum perrexisse discimus. Illius quidem nusquam alia in Scripturis mentio occurrit ; Titum autem in apostolico itinere quod post liberationem ex prima romana captivitate susceperat in Creta insula reliquerat, ut ea quae minus recte se haberent, corrigeret et per civitates presbyteros constitueret (*Tit.*, i 5). Igitur Titus, cum per tempus non modicum in Creta, quae Paulus fundamenta iecerat aedificare perrexisset, iterum Paulo comitem sese adiunxit cum eoque Romam venit, unde sive sua sponte sive ex mandato Apostoli in Dalmatiam profectus est.

Praeter hos Apostolus discipulum salutat nomine Eubuli, Pudentis, Lini, Claudiae et omnium fratrum (iv, 21). Horum Linus is est qui Petro in regimine romanae ecclesiae successit, cui quoque in absentia sua vices suas gerendas committere consuevisse videtur. Pudentem quoque legenda senatorii ordinis fuisse perhibet eumque primum Petrum hospitio excepisse domumque suam coetibus ritibusque fidelium patefecisse. Denique Priscam et Aquilam, quorum saepe mentio facta est, iterum Ephesum venisse, utique declinandae persecutionis causâ, cognoscimus, quippe Timotheus eos salutare iubetur. Praeter haec de statu ecclesiae romanae nihil eruimus. De incendio urbis indeque secutâ persecutione altum silentium. Neque minus id mirum est, quod in epistolis romanis nulla Petri mentio iniiciatur. Quod silentium sane hoc unum innuit Petrum eo tempore quo epistolae dabantur, Romae non fuisse. Ubi enim Paulus personas nominat, fere non facit nisi salutationis gratiâ ; tantum comitum discipulorumque suorum quandoque adventum aut profectionem nuntiat. Ceterum Petri romanum apostolatum alibi discutiemus.

## III. De neroniana persecutione.

66. Cornelius Tacitus (nat. circa an. 54 post. Chr. ; mor. circa a. 120), *Annal.*, XV, xliv, relatione peractâ de incendio Urbis sub Nerone et de statim oborto atque evulgato rumore in Neronem uti incendii auctorem, addit quod Nero omnibus viribus ac mediis (praecipue solemnioribus ritibus expiatoriis, magnificis elargitionibus atque reconstructionibus) ad avertendam a se tantam infamiam, usus est. Inde subsequitur :

« Sed non ope humanâ, non largitionibus principis aut deûm placamentis decedebat infamia, quin iussum incendium crederetur. Ergo abolendo rumori Nero subdidit reos et quaesitissimis poenis adfecit quos per flagitia invisos vulgus christianos appellat... Igitur primum correpti qui fatebantur, deinde iudicio eorum multitudo ingens haud proinde crimine incendii quam odio generis humani convicti sunt. Et pereuntibus addita supplicia, ut, ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent ; multi crucibus adfixi aut flammâ usti ; aliique, ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur. Hortos suos ei spectaculo Nero obtulerat et circense ludicrum edebat. habitu aurigae permixtus plebi vel curriculo insistens. Unde quamquam adversus sontes et novissima exempla meritos miseratio oriebatur, tamquam non utilitate publicâ, sed in saevitiam unius absumerentur ».

67. Suetonius (c. an. 70. p. Ch. — c. an. 160), *Nero*. vi: « Multa sub eo [Nerone] et animadversa severe et coërcita.... : afflicti suppliciis christiani genus hominum superstitionis novae et maleficae ».

68. Tertullianus (an. 160 p. Ch. - « ad decrepitam aetatem ») *Apologet.*, v. de legibus seu decretis quibus persecutio legalis innitebatur, paganis ait : « Ut de origine aliquid retractemus eiusmodi legum.... consulite commentarios vestros : illic reperietis primum Neronem in hanc sectam cum maxime Romae orientem caesariano gladio ferocisse. Sed tali dedicatore damnationis nostrae gloriamur. Qui enim scit illum, intelligere potest non nisi grande aliquod bonum a Nerone damnatum ».

69. Lactantius (fin. III[i] saec. - init. IV[i]) *De mort. persecut.*, *ii* (1), de principum Apostolorum apostolatu romano ait : « Qua re ad Neronem delata, cum animadverteret non modo Romae, sed ubique quotidie magnam multitudinem deficere a cultu idolorum et ad religionem novam, damnatâ vetustate, transire ; ut erat execrabilis ac nocens tyrannus, prosilivit ad excidendum caeleste templum delendamque justitiam ; et primus omnium persecutus Dei servos, Petrum cruci affixit et Paulum interfecit ».

70. Tandem, absque Neronis nomine, sed certis de eo indiciis, traditio christiana de Petri et Pauli martyrio neroniano antiquissima, de qua mox loquendum nobis est. — Praetermittimus, uti remotiores, Sulpicivm Severum (c. 363 - 425) et Orosium (saec. V[us] ineunte) qui, de cetero, nihil novi addunt.

71. Notanda. — Traditio de neronianâ persecutione ab ipsis primi saeculi fontibus (Clem. Roman., uti mox videbimus) declarata, novum habuit peculiare additamentum, post tacitianos annales saec xv-xvi adinventos. Illorum textus superallatus tali sensu acceptus est, quasi Nero ad abolendum de suo crimine rumorem, crimen ipsum in christianos rejiceret, et verba « subdidit christianos » in sensu « substituit christianos in eadem accusatione » habita sunt.

Nostris vero diebus, suppositam Neronis calumniam uti veram accusationem defendere, ac christianos vere fuisse incendii neroniani auctores propugnatum est. Insanam hanc propositionem (2) non tantum historica scientia sed et publica opinio, uti illa merebatur, inter ceteras antichristianas calumnias relegavit.

Attamen ad aliquid bonum, facinus illud occasionem praebuit ; nam non solum, re melius ab idoneis studiosis perpensâ, christiana innocentia neronianumque scelus firmissime confirmata sunt, sed tandem illum tacitianum textum hucusque errata interpretatione obnoxium fuisse, et ne a Nerone quidem christianos illâ calumniâ impetitos fuisse, tandem patuit.

72. Revera sententia de accusatione (utique, indubie calumniosa)

---

(1) Quod liber « De mortibus peccatorum » Lactantio tribuendus sit, cfr. in *Bardenhewer :* Patrol., vol. I — De cetero, Lactantii aetas ipsi libello assignanda, nulli omnino dubio obnoxia est.

(2) Quam abolendo rumori christianis propitio per Sienkievviczii celebratum opus invecto, seriores aliqui Neronis asseclae subdiderunt.

Neronis contra christianos tacitiano tantum textui innititur, cum reliqui fontes omnino de hoc sileant. Probari autem haud difficile est (*a*) quod interpetratio textûs tacitiani authentica calumniam illam non admittit, (*b*) quoâ concors reliquorum indubitabile silentium illam excludit.

73. Commata tacitiana quae ad rem faciunt, haec duo sunt : « abolendo rumori (Nero) subdidit christianos » et « haud perinde crimine incendii quam odio generis humani convicti sunt ».

Prius comma ita communiter intelligebatur ut illud « subdidit » pro « substituit » haberetur nempe « loco sui christianos sub illa accusatione posuit », iuxta illud Digesti « subdere filium, subdere testamentum » nempe « falsum filium vel testamentum vero substituere ». Revera, verbum illud, in juridicâ phraseologiâ serioris temporis, illam habuit significationem ; non vero in Tacito cui illud « subdere » significat simpliciter « proponere, praesentare absque mora » (*Ann.*, I, vi ; I, xxxix ; LXVII ; etc.). Sic, ex. gr., Tacitus ait circa crebras causas a Tiberii asseclis contra multos conspicuos cives invectas, quod ut securius rei a condemnatione non liberarentur, *addebatur* contra eos accusatio de crimine laesae maiestatis, in quo casu nemo (nec propinquus quidem intervenire pro defensione poterat, ne et ipse periclitaretur. En Taciti verba : « et ne quis necessariorum iuvaret periclitantem, maiestatis crimina *subdebantur*, vinclum et necessitas silendi » (*Ann.*, III, LXVII).

Ergo comma illud « abolendo rumori subdidit christianos » hoc tantum significat, nempe : Nero videns quod frustra hucusque adlaborasset ut a se incendii recederet infamia, praesentavit clamorosam quamdam causam, ut attentio et fervor vulgi ab illo facinore recederet, a novo facinore absorpta ; et in christianos causam instituit quasi contra tenebrosam saevamque sectam, odio generis humani furentem ; unde Nero ceu Urbis et orbis a diris sectariis salvator habendus esset.

74. Alterum comma « haud perinde crimine incendii quam odio generis humani convicti sunt » acceptum est hoc sensu : « non solum crimine incendii, sed etiam et magis odio generis humani » : cum e contra sensus sit ; non de incendio sed de odio contra humanum convicti sunt.

Revera, ex primo commate vidimus, nec a Nerone christianos de incendio accusatos fuisse, ergo tanto minus convictos. — Insuper ex Taciti verbis indubitanter patet eum, utique christianis infensissimum, hos tamen incendii auctores minime retinuisse, nam de incendio narrare incipiens ait : « sequitur clades, forte an dolo principis incertum, nam utrumque auctores prodidere » (XXXVIII) ; unde nec hypothetice culpa

christianorum allata est. Quomodo igitur eosdem de incendio convictos Tacitus asseruisset ?

Sensus verborum « haud perinde .. quam... », ut in casu, hic est ; Quamvis Nero, abolendo circa incendium rumori sibi adverso, christianos subdidisset, attamen ipsi non de incendio sed de odio accusati sunt ; cumque hoc odium antisociale verum esset [iuxta Tacitum !], de hoc merito convicti et damnati sunt. Sed cum Nero hos pro suo commodo, non pro iustitiâ accusasset et condemnasset, eosque nimis diris ac humanitati offendentibus suppliciis affecisset, hinc « quamquam adversus sontes [odii contra humanum genus sontes] et [ideo] novissima exempla meritos, miseratio oriebatur, tamquam non utilitate publicâ sed in saevitiam unius absumerentur ».

75. Cum hac recta Taciti interpretatione plene concordat *Sueʿonius* quippe qui nihil de incendio ad christianos refert, sed eos uti « maleficos » in genere (cfr. « odio generis humani ») pronuntiat : « afflicti suppliciis christiani, genus hominum superstitionis novae et maleficae ». Suetonius autem haud dubitat quin Nero incendii auctor exstiterit, cum dicat : « incendit Urbem *tam palam* .. ut bellicis machinis labefactata atque inflammata sint » (xxxviii). De cetero, tam certa, tamque communis erat de Nerone incendii auctore notitia, ut ipse *Plinius senior*, contemporaneus auctor (24-79 p. Ch.), ad eam appellaverit simpliciter, chronologico modo, dicens de quadam vetusta arbore quae duraverat usque « ad Neronis principis incendia quibus cremavit Urbem » (Natur. Hist., XVII, i).

76. Idem dicendum de christianis auctoribus praecitatis qui de incendio quoad christianos nihil omnino dicunt, atque de paganis hoc asserentibus nihil tradunt.

Re quidem vera ; ipsa quaestionis natura si perspiciatur, hoc concludendum est quod si neroniana calumnia contra christianos de incendio exstitisset, aut ea a paganis habita est ut vera saltem probabiliter, aut, sicut falsa omnino et inacceptabilis, repudiatâ est.

Si primum ; evidenter eam antichristiani polemistae (uti Celsus) iterare et propugnare debuissent. Si alterum ; eam christiani apologetae uti monstruosum de paganis calumniis exemplum solemniter exhibere debuissent. Hoc est tam accusationis aut defensionis naturae consentaneum, ut illustratione non indigeat.

Atqui nec primum nec alterum evenit, cum — uti jam innuimus — paganorum aut christianorum nemo de tali re verba fecerit. Nec excipi

potest (sicut immerito tentatum) est quod hoc adfirmari nequeat, cum tot christiana et antichristiana illius aevi documenta, temporis iniuriâ, perierint, unde quid in illis scriptum fuerit ignoremus : etenim ea quae supersunt, sufficiunt ad duplex silentium probandum. *Tertullianus* et *Origen s* nobis praesto sunt. Horum prior (in Apologetico, in libro ad Scapulum, etc.) centies recenset et explodit singulas paganorum calumnias easque in illos plerumque reiicit quomodo igitur de neroniana calumniâ tacuisset, cum haec praecipua, abnormis, typica esset, ita ut apologetae optimum « topon » seu motivum polemizandi obtulisset ? E contra cum Tertullianus de Nerone loquitur, ait christianos gloriari de hoc primo persecutore tam horrendo ut a Nerone affligi idem ac honestos affligi significaretur. In casu practico, praesertim cognito Tertulliani polemico modo, absurdum omnino judicandum est illum de neroniana calumniâ potuisse tacere si haec revera exstitisset. — Idem de *Orig ne*, Celsi confutatore dicendum est, deque ipso *Celso* cuius accusationes ex origenianis confutationibus supersunt — idem de reliquis, uti de *Lactantio* qui Neronis persecutionem, qua causa quibusque circumstantiis obortam narrans, de calumnia incendii minime siluisset.

78. Ergo concludendum est Neronem, ut a se popularem ex incendio indignationem averteret, stupefacentem notitiam edidisse ; nempe quandam monstruosam sectam, odio generis humani scatentem, detectam esse, quam Nero, Urbem et orbem ab ea salvans, tam diris quam meritis suppliciis statim compressit.

79. Restat videndum quonam auctore Nero in hoc consilium venerit ut christianos pro suo facinore selegerit.

Christiani a paganis cum judaeis confusi sunt usque ad Domitiani tempus, nempe usque ad seculi I^i^ finem, ergo tanto magis Nerone imperante. Paganorum cognitio et judicium tunc in hoc versabatur quod plures judaeorum sectae adessent, quarum aliquae ad ordinem et pacem socialem observandam, aliae vero ad continuam agitationem contra Romam et odium contra ethnicas gentes (unde fere contra totum genus humanum) tendebant. Sectae turbulentae in illis habebantur regionibus in quibus frequentior Israel inhabitabat, sicut in Palaestina, in Aegypto ac Cyrenaicâ. Sectae vero pacificae praesertim in « diaspora » (dispersione) per varias imperii regiones vivebant.

Hinc factum est ut judaei numquam in globo et massaliter a romani imperii auctoritate et populo poenis afflicti fuerint, sed tantum illi ibi et

tunc, ubi et quando aliquod facinus patrabant, praesertim si in seditionem ruebant.

Tempore Vespasiani et Titi, patratâ Hierosolymae clade, omnes pacificos judaeos seu uti tales habitos (unde et christianos) plenâ pace, et Iosephum Flavium imperiali favore donatos esse, omnibus compertum est.

Unde, neroniani incendii tempore, christiani pace omnimodâ, uti pacifici judaei, fruebantur, tanto magis quanto Christi et Apostolorum doctrina sincerae erga Romam fidelitati favebat. De cetero, quamvis christianorum numerus in Urbe in dies augeretur, hic tamen nec talis nec tantus esse potuit ut eius notitia totum populum attigerit et ita allecerit ut de christianis uti de praepollenti ac inquietanti vi sociali judicium ferretur, cum tale iudicium nonnisi seculo II° inceperit.

Igitur a paganis oriri iniquum consilium non potuit : tum, quia ita de christianis uti de judaeis summe pacificis opinio adoleverat, unde post Neronem plenâ pace usque ad Domitianum christifideles gauderent tum quia de his nec consideratio quidem talis habebatur (in tot sectarum religiosarum romano gurgite « quo cuncta undique atrocia aut pudenda confluunt celebranturque » : *Tacit.*, Ann. XV, xliv) apud publicam opinionem, et circa eosdem peculiaris attentio acueretur.

79. Restat quod a judaeis hoc factum fuerit ; quod ita cum circumstatiis concordat, ut hoc morali saltem certitudine polleat.

Si populare effatum « ille fecit cui prodest », illudque « qui bibit, et bibet » unquam verum innuerunt, procul dubio in nostro casu evenit. Iudaeorum implacabile erga christianos odium jam vetus dici poterat, cum Christi religio adhuc nova adolesceret. Huius hebraici odii mos, christianos coram magistratibus atrocibus accusationibus exagitantis jam pro judaeis traditio dici poterat ; — cum et Christum uti plebis perturbatorem romanaeque potestatis hostem coram Pilato traduxerint — Iacobum Herodes occiderit et Petrum in carcerem detruderit, certus quod hoc modo « placeret judaeis » (*Act.*, xii, 3) — Paulum coram romanis magistratibus ita judaei exagitaverint, ut illi nihil melius superesset nisi ad Caesarem appellatio. His modis judaica contra christianos invidia ita exardescebat, ut absurdum omnino esset quod si haec Neronis saevitiam contra illos excitare poterat, hoc non fecerit.

Potuitne ? Absque dubio — Jam, de Pomponia Graecina loquentes, vidimus quod in ipsâ aulâ Neronis Poppaea omnipotens femina, judaico proselytismo assidue vacaret ; judaei trapezitae et publicani pecuniae vi

Urbem dominabantur. Quid ergo deerat quin « fecerit cui proderat »? Conclusio ex ipsa rerum hominumque naturâ sponte dimanat.

80. Quinetiam et ex fontibus jure deduci potest. Invidia, aemulatio, zelus (1) characteristica nota odii antichristiani judaeorum fuit. Ipsemet Pilatus de Jesu eiusque calumniatoribus « sciebat quod *per invidiam* (διὰ φθόνον) tradidissent eum » (*Matt.*, xxvii, 18). Unde *Tertullianus* de odiis specificis contra christianam religionem aperte ait : « tot hostes quot extranei : et quidem proprie ex aemulatione judaei, ex concussione (2) milites, ex natura ipsi domestici nostri » (*Apol.*, vii).

Hoc posito, habemus unde Clementis Romani quaedam subobscura verba intelligamus. Ipse de neronianâ persecutione loquens ait : « *Propter zelum et invidiam* » (διὰ ζῆλον καὶ φθόνον) maximae et iustissimae columnae (3) persecutionem passi sunt et certaverunt usque ad mortem. Ponamus nobis ante oculos bonos apostolos, Petrum qui propter *zelum* (διὰ ζῆλον) iniquum, non unum aut alterum, sed plures labores sustulit, atque ita martyrium passus, in debitum gloriae locum discessit. Propter *zelum et contentionem* (διὰ ζῆλον καὶ ἔριν) Paulus patientiae praemium exhibuit, septies in vincula coniectus, fugatus, lapidatus, in oriente et occidente verbi praeco factus... Viris istis sancte vitam instituentibus magna electorum multitudo aggregata est, qui multas poenas et tormenta propter zelum (διὰ ζῆλον) passi... Propter zelum (διὰ ζῆλον) persecutionem passae mulieres Danaidae et Dircae, postquam gravia et nefanda supplicia sustinuerunt, ad firmum fidei cursum pertigerunt, et, debiles corpore, nobile praemium acceperunt ». (*Ep. ad Cor.*; v, vi).

Unicuique hunc Clementis textum legenti facile demonstrant quibusnam illa insistentia verba « zelus, invidia, contentio » alludant. Eadem invidia et contentio, idem zelus Petrum in Herodis carcerem et Paulum coram romanos praesides, ambosque ad mortem duxerunt ; quando vero ad mortem ? quando etiam mulieres, protomartyres romanae, horrendum mortis genus subierunt : nempe quando « addita sunt supplicia, ut ferarum tergis contecti (christiani a Nerone damnati) laniatu canum interirent » ; quando « hortos suos ei spectaculo Nero obtulerat, et circense ludicrum edebat » ubi « Danaidarum et Dircès » fabulosam poenam realiter subire christianae feminae coactae sunt.

(1) *zelus*, sensu italicae vocis « gelosia », nempe invidia.

(2) *concussio*, violenta pecuniae extorsio, direptio a militibus saepe patrata.

(3) Apostolorum principes, Petrus et Paulus.

Igitur, ex judaicâ invidiâ apud Neronem praepotenti, saevum consilium de christianis persequendis originem duxisse, dubitandum, attentis circumstantiis, non est.

81. Neroniana persecutio etiam in provinciis grassata est ? — Equidem non constat ; unicum de re documentum allatum, absque dubio apocryphum est, nempe quaedam inscriptio in Lusitania, ut aiunt, reperta et a Grutero relata : « Neroni Cl. Caes. Aug. Pont. Max. ob provinciam latronibus et his qui novam generi humano superstitionem inculcabant purgatam ».

De cetero, hoc mirum non est, cum persecutio a Nerone excitata fuerit in Urbe uti praetextus diversivus pro localibus circumstantiis oblatum. Si quis, sub Nerone, martyr christianus in provinciis fuit, tale factum sufficienter explicaretur ex quibusdam localibus ac momentaneis adiunctis, ex. gr. ex solita judaeorum calumniosa in christianos accusatione coram magistratibus ; cum, e contrà, rarus (et etiam saepe incertus tempore) martyr persecutionem proprie dictam in provinciis invectam non satis demonstraret.

## VI. — De Petri romano apostolātu et pontificatu.

82. Petrus, *Ep. I*: « *v.* 12. Per Silvanum fidelem fratrem vobis, ut arbitror, breviter scripsi, obsecrans et contestans hanc esse veram gratiam Dei in qua statis. 13. Salutat vos Ecclesia quae est in Babylone coelecta et Marcus filius meus ».

83. Clemens Romanus, *Ep. ad Corinthios* (a. cir. 96), *v*, cum narrasset martyrium Petri et Pauli, addit : « His viris qui divinam vitam duxerunt aggregata est ingens electorum multitudo, qui multas contumelias multaque tormenta propter aemulationem passi, exemplo pulcherrimo inter nos fuerunt ».

84. Ignatius Antiochen. (+ cir. a. 110), *Ep. ad Rom.*, *iv.* « Non ut Petrus et Paulus vobis praecipio. Illi apostoli, ego condemnatus ; illi liberi, ego usque nunc servus. »

85. Hegesippus, Aniceto pontefice (a. cir. 155 - 6) Romam veniens, uti testis est Eusebius (*H. E.*, IV, xxii) romanorum pontificum catalogum *Memorabilibus* inseruit, a Petro inci-

pientem, si ipse catalogus est ille ab Epiphanio relatus, *Haeres.*, xxvii, 6 : cfr Bardenhewer, *Patrolog.*, de Hegesippo, ad pag. 147 vol. I versionis italicae, Romae 1903).

86. Papias Hierapolitanus (cir. a. 130) de quo Eusebius (*H. E.*, II, xvi) : « Et hoc dicit Papias quod Petrus in I epistolâ suâ quam de Urbe Roma scripsit, meminerit Marci, in qua tropice Romam Babylonem nominavit ».

87. Irenaeus (nat c. a. 140), *Adv. haer. III, i*, 1. « Ita Matthaeus in hebraeis propriâ ipsorum linguâ opus edidit evangelii, Petro et Paulo Romae evangelizantibus et constituentibus Ecclesiam. Post vero horum excessum Marcus, discipulus et interpres Petri, et ipse quae a Petro annuntiata erant perscripta nobis tradidit ».

*Ibidem*, iii, 2 « Quoniam valde longum est in hoc tali volumine omnium ecclesiarum numerare successiones, maximae et antiquissimae et omnibus cognitae, a gloriosissimis duobus apostolis Petro et Paulo Romae fundatae et constitutae ecclesiae, eam quam habet ab apostolis traditionem ed annuntiatam hominibus fidem per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos indicantes, confundimus omnes... Ad hanc enim ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est qui sunt undique fideles, in qua semper ab iis qui sunt undique conservata est ea quae est ab apostolis traditio. 3. Fundantes igitur et instruentes beati apostoli Ecclesiam, Lino episcopatum administrandae Ecclesiae tradiderunt ».

88. Dionysius Corinth. episcopus (c. a. 160 - 167), *Ep. ad Rom.*, apud Eusebium (H. E., II, xxv) : « Ita et vos, inquit, tanta admonitione vestra, sementem quae Petri ac Pauli satione succreverat, romanos scilicet et Corinthios simul commiscuistis. Ambo enim illi in urbem nostram Corinthum ingressi, sparso evangelicae doctrinae semine, nos instituerunt ; et in Italiam simul profecti, cum vos similiter instituissent, eodem tempore martyrium pertulerunt ».

89. Caius presb. (c. a 200) *Adv. Proclum* apud Eusebium (*H. E.*, II, xxv) : « Ego vero, inquit, apostolorum tropaea possum ostendere. Nam sive in Vaticanum sive ad Ostiensem viam pergere libet, occurrunt tibi tropaea eorum qui Ecclesiam illam fundaverunt ».

90. Anonymus Auctor *Parvi Labyrinthi adversus Artemonis haeresim* (c. a. 200) apud Eusebium (*H. E.*, V, xxviii) : « Affirmant enim priscos quidem omnes et ipsos apostolos ea quae ab ipsis nunc dicuntur et accepisse et docuisse : ac praedicationis quidem veritatem esse custoditam usque ad Victoris tempora, qui tertiusdecimus a Petro romanae urbis episcopus fuit ».

91. Clemens Alexandrin. (+ a. 210), *Adumbrationes* (Hypotyposes) *in I Petri* (ex versione Cassiodori ap. Migne. P. G., t 9, p. 732) « Marcus, Petri sectator, palam praedicante Petro evangelium Romae coram quibusdam caesareanis militibus et multa Christi testimonia proferente, petitus ab eis, ut possent quae dicebantur memoriae commendare, scripsit ex his quae Petro dicta sunt evangelium, quod secundum Marcum vocitatur ».

*Idem* apud Eusebium (*H. E.*, VI, xvi) : Sed et in iisdem libris (Hypotyposeon) Clemens traditionem quamdam de ordine Evangeliorum, quam a vetustioribus presbyteris acceperat, refert in hunc modum : « Dicebat (beatus presbyter)... Marci autem Evangelium ex huiusmodi occasione scriptum fuisse. Cum Petrus in urbe Roma verbum dei publice praedicasset et Spiritu Sancto afflatus Evangelium promulgasset, multi qui aderant Marcum cohortati sunt, utpote qui Petrum iamdudum sectatus fuisset et dicta eius memoria teneret, ut quae ab apostolo praedicata erant conscriberet. Marcus igitur Evangelium composuit, iisque qui illud ab ipso rogabant impertiit. Quod cum Petrus comperisset, nec prohibuit omnino rem fieri, nec ut fieret incitavit... ».

92. Tertullianus (+ c. a. 245) *De baptismo*. 4. « ... nec

quicquam refert inter eos quos Ioannes in Jordane et quos Petrus in Tiberi tinxit ».

Idem, *De praescription.*, 32. « . . . edant ergo origines ecclesiarum suarum, evolvant ordinem episcoporum suorum ita per successionem ab initio discurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex apostolis vel apostolicis viris, qui tamen cum apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem... sicut Smyrnaeorum ecclesia Polycarpum ab Ioanne collocatum refert; sicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum ».

Idem, *De praescript.*, 36. « Age iam,... percurre ecclesias apostolicas, apud quas ipsae adhuc cathedrae apostolorum suis locis praesident, apud quas ipsae authenticae litterae eorum recitantur, sonantes vocem et repraesentantes faciem uniuscuiusque... habes Corinthum... habes Philippos,... habes Ephesum; si autem Italiae adiaces, habes Romam, unde nobis (1) quoque auctoritas praesto est. Ista quam felix ecclesia cui totam doctrinam apostoli cum sanguine suo profuderunt.... ».

Idem, *Adv. Marcionem* IV, 5. « In summa, si constat id verius quod prius, id prius quod et ab initio, id ab initio quod ab apostolis, pariter utique constabit id esse ab apostolis traditum, quod apud ecclesias apostolorum fuerit sacrosanctum. Videamus.... quid etiam romani de proximo sonent, quibus Evangelium et Petrus et Paulus sanguine quoque suo signatum reliquerunt..... Eadem auctoritas ecclesiarum apostolicarum ceteris patrocinabitur evangeliis... licet et Marcus quod edidit, Petri affirmetur, cuius interpres Marcus ».

Idem, *De Pudicitia*, 21 « De tua nunc sententia quaero, unde hoc ius ecclesiae usurpes; si, quia dixerat Petro Dominus: super hanc petram:... (2) idcirco praesumis et ad te derivasse solvendi et alligandi potestatem, idest ad omnem Ecclesiam Petri propinquam? Qualis es, evertens atque commu-

(1) i. e. Afris.

(2) Matth. xvi, 18.

tans manifestam Domini intentionem personaliter hoc Petro conferentem ? (1)

93. Hippolytus Romanus (a. 235), *Philosophumenon*, VI, 20 : « Verum (Simon Magus) usque ad Romam progressus, incidit in apostolos, cui multum Petrus adversatus est ».

94. Origenes (a. 254), Tom. I *Comment. in Matth.*, apud Eusebium (*H. E.*, VI. 25) « Secundum fuisse accepimus Evangelium Marci, qui prout Petrus ipsi exposuerat. in litteras retulit. Atque idcirco Petrus in epistola catholica eum filium suum agnoscit his verbis ; Salutat vos electa Dei Ecclesia quae Balylone et Marcus filius meus » (2).

95. Cyprianus Carthagin. ep. († a. 258), *Ep.* 52, *ad Antonian*, (scripta a. 252). « Factus est autem Cornelius episcopus... cum Fabiani locus, id est cum locus Petri et gradus cathedrae sacerdotalis vacaret ».

Idem, *Ep.* 55, *ad Cornelium*, 14 (an. 252), loquens de asseclis Felicissimi schismatici. « Post ista adhuc insuper, pseudoepiscopo sibi ab haereticis constituto, navigare audent et ad Petri cathedram atque ad ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, a schismaticis et profanis litteras ferre.... ».

96. Firmilianus, Caesareae in Cappadocia episcopus *Ep. ad Cyprianum carthag.* (inter epp. Cypriani) circa an. 256-257, partes sustinens Cypriani in controversia de iteratione baptismi : « Atque ego in hac parte iuste indignor ad hanc tam apertam et manifestam Stephani stultitiam, quod, qui sic de episcopatus sui loco gloriatur et se successionem Petri tenere contendit, super quem fundamenta Ecclesiae collocata sunt, multas alias petras inducat et ecclesiarum multarum nova aedificia constituat... Stephanus, qui per successionem cathedram

---

(1) Notandum est opusculum de pudicitia a Tertulliano iam ad Montanismi haeresim prolapso scriptum esse ad impugnandam praxim romani pontificis Zephyrini vel Callisti, qui etiam fornicatoribus et adulteris veniam et remissionem concedendam esse sanxerant.

(2) I Petr., *v*, 13.

Petri habere se praedicat, nullo adversus haereticos zelo excitatur ».

97. Anonymus auctor (Pseudo-Cyprianus) operis *De rebaptismate* (script. a. 256-8), xivi, dicit haereticos, ad confirmandum errorem suum de necessitate iterandi baptismum venientium ex haeresi, confinxisse librum qui *Pauli praedicatio* inscribebatur, in quo, praeter alia Scripturis contraria continebatur « et post tanta tempora Petrum et Paulum, post collationem evangelii in Hierusalem et mutuam cogitationem et altercationem et rerum agendarum dispositionem, postremo in Urbe quasi tunc primum sibi esse cognitos et quaedam alia huiusmodi absurda turpiter conficta... ».

98. Lactantius (III - IV saec.), *Divinarum Institutionum*, IV. 21. «... sed et futura aperuit illis (Iesus) omnia quae Petrus et Paulus Romae praedicaverunt, et ea praedicatio in memoriam scripta permansit... ».

Lactantius? *De mortibus persecutorum*, (scr. c. a. 320) *ii.* «... (discipuli) et per annos viginti quinque usque ad principium neroniani imperii per omnes provincias et civitates Ecclesiae fundamenta miserunt. Cumque iam Nero imperaret, Petrus Romam advenit; et, editis quibusdam miraculis, quae virtute ipsius Dei, data sibi ab eo potestate, faciebat, convertit multos ad iustitiam Deoque templum fidele ac stabile collocavit ».

99. Notanda. — Testimoniorum hic finem facimus, a quarto enim saeculo romanus Petri episcopatus ita in omnium persuasione erat, ut longum sit vel praecipua testimonia afferre, quae ceteroqui nihil ponderis veritati afferre possunt. Hoc unum animadvertendum est, ad intentum nostrum facere etiam quaedam testimonia de martyrio Petri, quae infra afferemus, necnon ea quae ab antiquis scriptoribus de Simone Mago eiusque per Petrum refutatione et ruina traduntur, quae utique, per se sola, nihil vel parum valoris habent, quod veritatem fabulosis figmentis deturpant atque obruunt.

100. Illud vero, quod maxime confirmat veritatem romani episcopatus Petri, est quod ad saeculum xiii usque nemo unquam in dubium revocavit neque praedicationem neque episcopatum Petri in Urbe. Quod tanto magis

mirum est, quod in longo illo tempore non defuerunt occasiones, quibus negatio facti illius valida praestitisset arma osoribus et impugnatoribus auctoritatis romanae sedis. Quid enim Photio († 895), quid Michaeli Caerulario († 1058), quid phalangi illi scriptorum, qui primatum romanae sedis cum illis et post illos impugnarunt, auctoresque fuerunt schismatis quo hodie quoque orientalis ecclesia ab unitate catholica dissidet, quid, inquam, commodius aut efficacius fuit, quam ut successionem Romani Pontificis in cathedram Petri negarent, quippe qui esset titulus quo ille auctoritatem, quam sibi in universalem ecclesiam arrogabat, fulciebat. E contra nihil huiusmodi habitum est, tanta erat persuasio de indubia veritate facti, quae persuasio non semel ab orientalibus solemni affirmatione proclamata erat, ut cum in Chalcedonensi Concilio orthodoxi Patres, audita lectione « tomi » Leonis Magni, exclamaverunt : « Petrus per Leonem locutus est ».

Qua in re mira videri est heterodoxorum « discors concordia ». Dum enim orientales dissidentes Petri romanum apostolatum non ausi negare universalem eius ac supremam auctoritatem inficiari conati sunt ; occidentales haeretici, inscindibilem haereditariae illius auctoritatis cum facto primordiali connexionem intuentes, factum ipsum convellere conati sunt. Quae discordia praeclare catholicam doctrinam confirmat. Facile enim alteri exemplo alterius partis confutari possunt : orientales quidem schismatici, obiecto exemplo occidentalium praereformistarum, connexionem haereditatis tacite fatentium, occidentales exemplo orientalium factum fundamentale aperte confitentium.

101. Porro primi romanum Petri episcopatum negaverunt Waldenses, saec. XIII et Marsilius Patavinus (dictus Menandrinus), qui in contentione inter Joannem XXII et Ludovicum Bavarum, imperatorem, Caesaris partes secutus, librum edidit cui titulus *Defensor pacis* quo auctoritatem romani pontificis omnimodis cavillationibus evertere studuit.

Protestanticâ Reformatione tandem superveniente, praereformistica negatio a Protestantibus plene accepta, vehementius contra Romanum Pontificatum adhibita est, auctoribus praesertim *Magdeburgensibus Centuriatoribus* (ab an. 1559), deinde vero Claudio de Saumaise (*Salmasio ;* in op. de papae primatu, Leidae 1645), a Friderico *Spanheim* (Opp., Lipsiae 1701-3) etc., nostrisque temporibus a Ferdinando Christiano *Baur* ceterisque « scholae tubingensis » asseclis et imitatoribus, qui opinionem de romano Petri adventu ex fabulosis de Simone Mago narrationibus ortum duxisse adstruunt.

Non defuere tamen eruditiores gravioresque acatholici, praesertim anglicani, qui Petri romanum iter ac martyrium confessi sint, inter quos

Isaac *Casaubon* († 1614 : in « Exercitation. contra Baronium »), Hugo de Groot (*Grotius* † 1646 « Annotation. ad totam S. Scriptur », in primam Petri epist.), Jacobus Usher (*Usserius* † 1656 : in « Ecclesiar. christianar. successione et statu »), Joannes *Pearson* († 1686 : in Tractatu de success. primor. Romae episcopor. »), Guglielmus *Cave* († 1713 : in « Scriptor. ecclesiasticor. historia litteraria ») Iacobus *Basnage* († 1723 ; in « Hist. eccles. » ad an. 64), etc. ; atque inter recentiores *Gieseler*, *Schröck*, *Berthold*, *Neander*, *Callu*, *Ewald*, *Stenglein*, *Bunsen*, *Harnack* : ita ut hodie apud eruditos honestosque protestantes sententia affirmativa omnino praevaleat, licet Petri episcopatum et tanto magis papalem successionem usque tenaciter reiciant.

102. Porro testimonia quae praemisimus manifesto rem probant. Ac primo quidem ipsius Petri testimonium occurrit, qui fideles Asiae, Bithyniae, Galatiae, Cappadociae nomine romanae ecclesiae salutat. Romam enim nomine Babylonis intelligi, uti etiam in Ioannis Apocalypsi, et per se probabile est, et expresse a Papia, qui apostolicis temporibus suppar est, confirmatur, loco a nobis citato. Imo mos designandi urbem dominatricem orbis nomine Babylonis illius quae multis saeculis ante israelitici populi cervicibus durissimam servitutem imposuerat, inter iudaeos, romano imperio subditos, fami iaris fuisse videtur, quem loquendi modum etiam christiani ex iudaeis usurpare potuerunt.

Quod vero Babylon illa non realem Babylonem mesopotamicam aut aegyptiam (1) sed symbolicam Urbem designaverit, tam clarum est, ut et ipse *Renan* acute observaverit quod, etiam si prima Petri epistola apocrypha esset, illud argumentum tamen pro romani Petri domicilio validum superesset. Et merito quidem : nam in tali hypothesi, falsarius auctor notam illam scripsisset ut suo apocrypho documento aliquod credibilitatis fulcrum praeberet ; sicut falsariis mos est ut multas veridicas circumstantias falsidico documento vel monumento commisceant unde per illas hoc firmum et acceptabile evadat. Hinc si a falsario epistola illa exarata fuisset, comma illud « Ecclesia in Babylone coëlecta » uti fulcrum credibilitatis additum ab eodem esset : ut legentibus, quibus vera Petri « babylonica » commoratio jam notoria erat, ex hoc credibilior epistolae authentia evaderet. Igitur notorium erat quod Petrus « Babylone » morabatur ; sed in quanam Babylone, cum nemo unquam sciverit

(1) Babylon mesopotamica urbs percelebris fuit ; aegyptiaca vero, tunc obscurum oppidum in Delta fuit apud Memphim, in oppositâ Nili ripa et septentrionem versus.

et nec fingere ausus sit Petrum in mesopotamicâ seu aegyptiaca Babylone commoratum esse, cum e contra ex ipsa Apocalypsi aperte eruatur Babylonis nomen pro Roma designandâ obvie apud primaevos christianos adhibitum fuisse?

Res quidem notatu digna est. Omnibus notum est quod saepe saepius pro quibusdam locis iter alicuius Apostoli fictum est, ita ut mille in locis Petri vel Pauli transitus, perperam quidem, aut saltem nullo extante argumento, affirmetur. Tanto magis quando ad hanc legendariam apostoli visitationem apparenter fulciendam aliquid ex biblicis aut patristicis documentis praesto erat. Hoc ex multiplici orientalis et occidentalis orbis christiani experientiâ liquet. Quid igitur magis obvium, magisve naturale, quod christiani Mesopotamiae vel Aegypti pro sua Babylone Petri textum detorsissent? At nemo unquam hoc tentavit; christiani Mesopotamiae et Aegypti, non minus ac ceteri, Romam in Petri « Babylone » recognoverunt. — Quid ergo tali communi et primitivâ interpretatione tutius certum et indiscutibile?

Clemens romanus expressis verbis tantummodo meminit martyrii quod Petrus et Paulus subierunt Romae, dicit enim apostolis ingentem multitudinem aggregatam esse, qui « inter nos » pulcherrimo exemplo fuerunt. Indirecte autem tota epistola episcopatum quoque Petri romanum ostendit. Scripta est enim nomine Ecclesiae Romanae; ita enim incipit: « Ecclesia Dei quae Romae peregrinatur Ecclesiae Dei quae Corinthi peregrinatur ». Verum semper habita est ut epistola Clementis. Quippe Clemens eam scripsit ut personam gerens suae ecclesiae. Porro totus tenor epistolae is est, ut a superiore ad subditum directa esse censenda sit. Auctoritas utique fraterna caritate condita est, quae vero auctoritatem non minuit. Insuper omnes antiquae ecclesiae hanc Clementis epistolam fere eodem in honore habebant ac apostolicas. Quod certe factum non esset, nisi Romana ecclesia, quae scribebat, sicut corinthia, ad quam scribebat, et ipsa apostolicae originis titulum habuisset, eumque maiore adhuc auctoritate praeditum. Apostolicae enim ecclesiae tantum antiquitus consulebantur, ubi gravius quoddam negotium exortum est, uti videre est in locis ex Tertulliano adductis.

E contra Ignatii antiocheni, qui et ipse apostolicam cathedram et quidem a Petro fundatam possidebat, epistola ad Romanos tota est fraterna. Ipse fatetur se nulla auctoritate in eos uti velle, neque se ut Petrum et Paulum illis praecipere. Quae verba monstrant Petrum quoque

romanis praecepisse, i. e. praedicasse, nulla enim exstat Petri ad romanos epistola. Igitur etiam ab Ignatio romanus Petri apostolatus probatur.

Idem factum ex locis Dionysii corinthii, Cai presbyteri romani, Clementis Alexandrini eruitur, qui Petrum una cum Paulo vel nulla Pauli mentione facta Romae evangelium praedicasse affirmant. Notandum porro, Dionysium loqui tantum per incidens et compendiaria narratione, unde non debet movere, quod Petrum et Paulum *simul* in Italiam profectos esse scribit, cum tamen Paulus, prima saltem vice, captivus et cum iis sociis, qui in Actibus memorantur, Romam venerit. Deinde id quod Clemens Alexandrinus ex traditione beati senis refert de evangelio Marci diuturnam supponit Petri in Urbe commorationem. Neque praetereundum est illud, quod Petrus et Paulus romanam ecclesiam fundasse dicuntur et constituisse. Constituendi vox rectius de interno ordine intelligitur, fundatio vero de prima institutione. Quia vero, ut vidimus, Apostolus ad romanos scribens alteri fundationem romanae ecclesiae attribuit, asserens se noluisse super alienum fundamentum aedificare (xv, 20), ille alter Petrus est, qui igitur ante Paulum Romam advenerat. Quod autem scriptores illi Paulum in fundatione Petri socium faciunt, hoc compendiosa dicendi brevitate fecerunt.

Etiam textus ex Origene citatus, licet in eo nulla urbis Romae mentio fiat, huc facit ; supponit enim Adamantino probe notum fuisse id quod de occasione compositionis Evangelii secundum Marcum Clemens ex senum narratione vel alio ex fonte hausta narravit.

104. Episcopatus vero romanus Petri diserte affirmatur ab Hegesippo, Irenaeo, Tertulliano, auctore Parvi Labyrinthi, Cypriano, Firmiliano. Tertullianus porro et Firmilianus ipsam quoque expressam affirmationem romanorum pontificum Zephyrini et Stephani referunt. Hegesippi porro et Irenaei testimonium tanto est pretiosius, quod uterque adhuc cum viris apostolicis conversati erant, atque insuper data opera omnia exquisierunt, unde rectam ac genuinam apostolicam traditionem cognoscerent.

Irenaeus et Tertullianus, ut haereticos refellant, ad successionem episcoporum romanorum in locum S. Petri arguunt, eorum fidei omnes sese conformare debere. Quod si Tertullianus, haeretico praeiudicio captus, negat, ut omnibus ita etiam romano pontifici potestatem remittendi quaedam peccata graviora competere, asserens potestatem ligandi solvendique personaliter Petro concessam esse, id nequaquam officit successioni eorum in locum Petri, sed solum potestatem eorum minuit. Notatu dignun est id quoque quod haec persuasio de romano episcopatu Petri in diversissimis et dissitis re-

gionibus vulgata erat. Irenaeus enim pro Asia, Gallia et urbe Roma testatur, Hegesippus pro Palaestina et urbe Roma, Tertullianus et Cyprianus pro Africa, Firmilianus pro Cappadocia, praeter testes romanos ipsos, Clementem, Zephyrinum, Stephanum, auctorem Labyrinthi. Porro, si opinio haec nullo reali et historico fundamento niteretur, non potuit eodem tempore diversis in locis oriri et si uno in loco orta esset, certe oblocutores habuisset, cum tanta cura eo tempore provideretur, ne novum aliquid et ab antiqua traditione alienum induceretur.

Locum *Carminis adv. Marcionem*, quod exstat inter opera dubia Tertulliani, inter testimonia genuina adducere noluimus, quippe cum inter eruditos non constet quartone saeculo an tertio adscribendum sit poema illud. Versificator ille, ita de romana cathedra loquitur : « Hac cathedra Petrus qua sederat ipse, locatum — Maxima Roma Linum primum consedere iussit . . . Constabat pietate vigens Ecclesia Romae — Composita a Petro, cuius successor et ipse — Iamque loco nono cathedram suscepit Hyginus ».

105. Objectiones allatae contra Petri romanum iter aut pontificatum, tam inanes sunt, ut fere refutare eas inutile sit.

(*a*) Aliqui Babylonem in salutatione Petri memoratam esse illam mesopotamicam aut aegyptiam affirmare audent, inter quos recentior est E. L. *Butcher* (The story of the Church of Egypt ; vol. I, London 1897, pag, 12 ss.) qui pro Babylone aegyptiaca dimicat, insistens in hoc quod Babylon illa erat conspicua urbs. . . tempore mahomedanorum, unde sultanus Aegypti « soldanus Babyloniae » in Occidente vocabatur !

(*b*) Illi qui objiciunt silentium de Petro in Pauli epistola ad Romanos et in Actibus Apostolorum narrantium Pauli romanum adventum et domicilium, ad summum hoc concludere possunt quod tunc Petrus Romae non morabatur.

(*c*) Alii nullum esse praedictorum catalogorum valorem deducunt ex eo quod in Petri successione non concordent, (cum unus Cletum et Anacletum, alter tantum Anacletum etc. ponat,) unde aiunt, illos nec de Petri episcopatu certos esse testes. Quae deductio omnino inanis est ; nam catalogorum illorum de Petri successoribus discordantia concordantiam de Petri episcopatu confirmat, cum demonstret quod catalogi illi diversis e fontibus provenientes, et inde in aliquibus discrepantes, notitiam indubiam de Petro confirmant. Si in omnibus concordassent, omnes illi catalogi ad unum testem reduci possent quasi unius catalogi originalis

essent simplices apographi ; cum e contra tot nunc testes de Petri episcopatu habeantur, quot sunt catalogi in ceteris discordantes.

Reliquae objectiones - puta ex eo quod Petrus fuit apostolus circumcisionis et Paulus gentium ; ergo Petrus Romam ire non potuit ne in alienum campum suam falcem immitteret — non objectiones dicendae sunt, sed facetiae.

De cetero jam diximus quod de Petri itinere et martyrio etiam plures e praestantioribus protestantibus admittunt, quod utique summam de re certitudinem et objectionum inanitatem confirmat. Quoad Petri romanum episcopatum, tamen, aperte hic cum praecedenti connectitur ut et ipsi acriores protestantes iter Petri romanum, contra solis lucem negantes, confirmant, cum eorum pervicacia iter ipsum neget quia sentit quod, itineris traditione admissâ, episcopatûs traditio negari, in facti specie, nequit.

Concludamus, igitur, traditionem de Petri romano itinere, apostolatu, episcopatu et martyrio absolute certam declarantes, quippe quae indubiis argumentis et testibus ex ipso apostolico aevo citatis comprobatur.

## IV. — De Petri et Pauli martyrio romano.

106. Iohannes Evang. *Evang.*, xxi (Iesus Petro dixit) : « 18. Cum esses iunior cingebas te et ambulabas ubi volebas ; cum autem senueris, alter cinget te et ducet quo tu non vis. 19. Hoc autem dicebat, significans qua morte esset moriturus ».

107. Clemens romanus, *Ep. ad Corinth.*, *v*, 3 : « Ponamus nobis ante oculos bonos apostolos ; 4. Petrum, qui propter zelum iniquum non unum aut alterum sed plures labores sustulit atque ita martyrium passus (1) in debitum gloriae locum discessit. 5. Propter zelum et contentionem Paulus patientiae praemium exhibuit, 6. sexies in vincula coniectus, fugatus, lapidatus, in oriente ac occidente verbi praeco factus, illustrem fidei suae famam sortitus est, 7. qui postquam iustitiam universum mundum docuit et ad occidentis terminos venit, et coram praefectis martyrium subiit, sic e mundo migravit . . . ».

108. Dionysius, Corinth., *Ep. ad rom.* apud Eusebium (*H. E. II.*, 25) : vide supra n. 88.

109. Caivs rom. presbyter, apud Eusebium, ibidem ; vide supra n. 89.

110. Tertullianus, *De praescriptione*, 36 : « . . . . habes Romam, unde nobis quoque auctoritas praesto est. Ista quam felix ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt, ubi Petrus passioni dominicae adaequatur, ubi Paulus Ioannis exitu coronatur ; ubi apostolus Ioannes, posteaquam in oleum igneum demersus nihil passus est, in insulam relegatur ».

Idem, *Scorpiace*, *xv* : « Vitas Caesarum legimus ; orientem fidem Romae primus Nero cruentavit. Tunc Petrus ab altero cingitur, cum cruci adstringitur. Tunc Paulus civitatis romanae consequitur nativitatem, cum illic martyrii renascitur generositate ».

Idem, *Apologet.*, *xxi* : « Discipuli quoque. . . Romae postremo per Neronis saevitiam sanguinem christianum seminaverunt ».

Idem, *Adversus Praxean.*, *xv* : « Quae tamen passos apostolos scimus, manifesta doctrina est..... Quod Petrus caeditur (al. editur).... ».

111. Origenes tomo III *Comm. in Genesim*, apud Eusebium *E. H.*, III. i : « Qui (Petrus) ad extremum Romam veniens cruci suffixus est, capite deorsum demisso : sic enim ut in cruce collocaretur oraverat. De Paulo iam quid attinet dicere qui ab Hierosolymis usque ad Illyricum munus evangelicae praedicationis implevit, ac postremo Romae sub Nerone martyrio perfunctus est ? ».

112. Lactantius, *De mortibus persec.*, ii : « Qua re (i. e praedicatione Petri) ad Neronem delata, cum animadverteret non modo Romae, sed ubique quotidie magnam multitudinem deficere a cultu idolorum et ad religionem novam, damnata vetustate, transire ( . . . ) prosilivit ad excidendum coeleste templum delendamque iustitiam, et primus omnium persecutus dei servos, Petrum cruci adfixit et Paulum interfecit ».

113. Petrus Alexandrinus († a. 311) epist. *canonica*, can. 9: « Ita Petrus apostolorum primus saepe comprehensus et custodiae traditus ignominiaque affectus postremo Romae crucifixus est. Similiter et inclytus Paulus saepe traditus et ad mortem usque in periculum adductus multa mala perpessus... in eadem urbe ipse quoque gladio capite multatus est ».

114. Athanasius Alexandrinus (nat. cir. a. 295), *Apol. de fuga sua*, xviii: « Petrus vero, qui sese metu Iudaeorum absconderat, et Paulus, qui in sporta demissus sic evaserat, his auditis verbis: Oportet vos Romae martyrium subire, profectum non distulere suum, imo potius gaudentes abierunt. Et ille quidem, ut ad suos properans, de nece sua gaudebat; hic vero cum tempus adesset, nequaquam exhorruit, sed gloriabundus ait: Ego enim iam delibor et tempus resolutionis meae instat ».

115. Notanda. — Petrum et Paulum Romae martyrium subiisse ex allatis testimoniis certissimum est. Evangelium quidem Ioannis exeunte primo saeculo conscriptum esse concors est omnium peritorum sententia, ac proinde notitia facti illius Ephesi nota esse potuit. Nec minus explicitum est testimonium Clementis, qui martyrium duorum apostolorum una cum ingenti quadam multitudine factum esse narrat. Nam, postquam de eorum morte locutus est, statim addit, illis adiunctam esse ingentem electorum multitudinem (πολὺ πλῆθος). Ubi notandum est, quod ex verbo συνηρπάσθη (quo utitur Clemens) non potest deduci, Petrum et Paulum praecessisse multitudinem illam, sed tantum hoc, eos eiusdem persecutionis consortes fuisse, licet forte diversis temporibus passi sint. Porro persecutio de qua hic agitur, esse non potest nisi neroniana illa, cui incendium urbis et avertenda a Caesare criminis opinio occasionem praebuit. Haec insuper est constans traditio, sub Nerone apostolos passos esse, ut ex Tertulliano et posterioribus omnibus scriptoribus liquet.

116. De genere mortis prima notitia apud Tertullianum occurrit, qui Petrum cruci adfixum, Paulum gladio interemptum esse refert. Huic notitiae Origenes illud addit, Petrum capite deorsum demisso, ut ipse oravisset, crucifixum esse, quae opinio deinceps communis est. Porro neque Tertullianum neque Origenem illa de proprio penu hausisse nemo credet; ideoque eos ex aliis fontibus hausisse putandum est. Certe Origenes non semel laudat πράξεις Παύλου, Actus Pauli, quos magni facere videtur.

Utrum vero hi Pauli Actus iidem sint, qui hodie dum supersunt inter apocryphos Actus Apostolorum, discerni iam non potest. Porro, etsi liber ille falsarii opus esset, notitia de crucifixione Petri non solum nihil inverosimile habet, sed apprime cum iis componitur quae Tacitus loco supra citato de suppliciis a Nerone christianis inflictis prodit.

Hic non praetereundum duximus illud quod s. Athanasius refert, Petrum et Paulum divinitus monitos esse, se Romae martyrium subituros esse. Atque ad Paulum quidem quod attinet, hoc referri posset ad factum de quo *Act.* xxvii, 24, licet ibi non agatur de martyrio sed tantum de causae dictione.

117. Si de tempore quaeratur, ex antiquioribus auctoribus nihil de anno multoque minus de die erui potest ; inter posteriores vero magna est discrepantia. Ita alii quidem Petrum et Paulum eodem die passos esse affirmant, ut Hieronymus (*De viris inlustr.*, v.), Eusebius, qui vero tantummodo dicit eodem tempore (*H. E.*, III, i). Et tandem in Concilio Romano, anno 494 sub Gelasio summo Pontifice, in decreto de canonicis scripturis, decernitur: Paulus « non diverso, sicut haeretici garriunt, sed uno tempore, uno eodemque die, gloriosa morte cum Petro in urbe Roma sub Caesare Nerone agonizans, coronatus est ». Verum opinio « haereticorum » etiam apud catholicos scriptores invenitur, ut apud Augustinum (*serm. V in nat. Apostolorum*), Prudentium (*Peristephan.*, XII), Gregorium Turonensem (*De glor. mart.*, XXVIII), qui Paulum post annum a morte Petri sed eodem die passum esse dicunt. Hodie maxima pars eruditorum Petrum et Paulum diverso tempore obiisse autumant. Ceterum, quod Ecclesia festum Apostolorum die 29 Iunii celebrat, non est argumento, eo die eos obiisse, cum praesertim dies illa primitus celebrata fuerit ob memoriam *depositionis* apostolorum *ad catacumbas,* quae facta est anno Christi 258. Etenim in antiquissimo Kalendario Romanae Ecclesiae anni 354, sub die III Kal. Iul. (29 iunii) legitur : « Petri in catacumbas et Pauli ostense, Fusco et Basso » (a. 258) (1).

Ad annum quod spectat, in Chronico Eusebii indicatur annus christianus 67, cui anno persecutionem neronianam ipse refert. Hieronymus (*De viris inlustr.*, i) Petrum (ac proinde etiam Paulum) ultimo i. e. quartodecimo anno Neronis (A. D. 68) obiisse narrat, atque, de Paulo loquens addit : « anno post passionem Domini trigesimo septimo » (ib., v).

Communiter a modernis tenetur quod neroniana persecutio post in-

---

(1) Preuschen, *Analekta* etc : Freiburg, Mohr 1893 p. 122.

cendium anni 64 incepit, ideoque Principum Apostolorum martyrium inter annos 65 et ponendum est, cum annus hieronymianus 68 facile ad annum 67 reducatur.

Pro anno 67 militat perantiqua traditio XXV annorum pontificatûs romani a Petro gesti, cum hic computus ab anno secundo Claudii (A. D. 42) quo prima vice Apostolus Romam, iuxta antiquissimam traditionem, venit, ad annum 67 deducatur.

116. De loco et forma martyrii Pauli, communis traditio est, gladio (uti romanum civem) Paulum percussum occubuisse ad Ostiensem viam (saltem lato sensu sumptam).

Quoad vero Petrum, traditio de eius crucifixione vetusta et credibilis adest. De huius martyrii loco, quamvis a 4 saeculis placuerit quibusdam illud in Ianiculo monte statuere, restat tamen antiquissima traditio de circo Neronis ad Vaticanum. Inter ceteros cfr. O. Marucchi, *La crocifissione di s. Pietro nel Vaticano,* in « Nuovo Bullettino d'archeologia cristiana » Romae 1905 235 ss. (item U. Benigni, *A proposito della crocifissione di s. Pietro* in « Miscellanea di storia e cultura eccles » febr. 1906, pp. 192 ss.).

## VIII. De quibusdam Petri et Pauli legendis romanis.

*(A) De Petro et de Simone Mago — (B) De Petri fuga — (C) De Paulo et Seneca.*

### A. *De Petro et Simone Mago.*

117. Inter legendas quibus popularis phantasia historiam Apostoli Petri adornavit, celeberrima ea est juxta quam Petrus Simonem Magum, quem in Palaestina iam confutaverat, cum is Romam aufugisset, eo secutus fuit, ibique variis miraculis eidem obstitit; ac demum magicis artibus volatu sublime sublatum precibus deiecit ita ut ille fractis cruribus moreretur. Haec fuse narrantur in apocryphis Actis s. Petri qui Lino episcopo attribuuntur, insuper a variis scriptoribus commemorantur.

Iustinus primus est qui de Simonis Magi in Urbem adventu deque praestigiis ibi factis mentionem faciat. Is in *I Apologia, xxvi*, refert Simonem Claudii temporibus Romam adventasse, artibus suis romanos eo usque dementasse, ut eum tanquam Deum colerent, eique statuam erexerint cum inscriptione Simoni Sancto Deo, quam statuam ipse se in Tiberis insulâ vidisse fatetur. Nullam vero de Petri cum eo congressu

mentionem facit, nullam de volatu. Iamvero quod ad statuam illam attinet, inventa est saec. XVI in insulâ tiberinâ statua cum inscriptione SEMONI SANCO DEO FIDIO SACRUM etc.: Semo Sancus antiquum Sabinorum numen (1) per quod saepe iurabatur, adeo ut *me dius fidius* communissima interiectio asseverativa evaserit. Iustinus itaque, qui certe, more orientalium, latini sermonis ignarus erat, deum illum pro principe illo haereticorum sumpsit, fortasse a quibusdam samaritanis, popularibus (*H. E.*, II, XIII) suis, in errorem inductus. Eusebius, qui locum Iustini laudat, addit Irenaeum quoque, (*I, Contra haer.*) ei narrationi subscribere.

Subdit autem Iustinus Samaritanos ei statuae divinos honores exhibuisse. Notandum tamen est, lapidem inscriptum illum habuisse quidem basim in qua statua collocaretur, verum exiguam, quae humanae figurae excipiendae apta minime esset.

TERTULLIANUS, *Apol.* c. 13, et ipse statuae cum inscriptione Sancti Dei meminit.

HIPPOLYTUS vel quisquis est auctor *Philosophumenon* (VI, *xx*) haec refert : « Verum vel usque ad Romam progressus incidit in apostolos, cui multum Petrus adversatus est. . . . Et vero ad extremum dixit se, si vivus cooperiretur, surrecturum se esse tertio die . . . ille autem abfuit usque ad hunc diem ». Primum igitur hic apud auctorem gravem mentio fit de congressu Simonis cum apostolis Petro et Paulo, licet Petrus praecipue ei restitisse dicatur. De fine autem magi narratio haec prorsus differt ab ea quae est vulgata.

ARNOBIUS denique volatum ac ruinam Simonis narrat (*Adv. gentes*, II, XII) ; « Viderant enim ( i. e. romani) currum Simonis magi et quadrigas igneas Petri ore difflatas et, nominato Christo, evanuisse. Viderant, inquam, fidentem diis falsis et ab eisdem metuentibus proditum, pondere praecipitatum suo, cruribus iacuisse perfractis ; post deinde perlatum Brundam [Brundusium] cruciatibus et pudore defessum ex altissimi culminis se rursum praecipitasse fastigio ». Hic igitur primum de volatu sermo est, ope currûs et quadrigarum, Petrus item solus oratione sua magum praecipitat, qui vero non statim moritur, sed Brundusii demum praecipitio ipse se necat. Porro Arnobium narrationem suam ax apocryphis illis Petri actis quae iam eo tempore nomine Lini ferebantur deprompsisse putandum est. Ex eisdem in Constitutiones Apostolicas quoque (VI, 8) transiisse videntur.

---

(1) Idem ac Heracles (Hercules) apud graecos.

Eusebius tantummodo Iustini verba refert, verum initio capituli Petrum ad evertendum Simonem Romam a divina Providentia deductum ait. Inter ceteros scriptores qui facti meminerunt sufficit nominare Ambrosium (*Hexam*, IV, 8; *De excidio Hieros.*, [pseudo-Hegesippi nomine], III, *ii*); Epiphanium (*Adv. Haeres.* I, tom. II, haer. XXI, *v*) qui vero nullam Petri mentionem facit; Theodoretum (*Haer. fab.*, I, *i*); Cyrillum Hierosol. (*Catech.*, VI, 14), qui Petrum et Paulum orantes facit. Etiam in hoc discrepantia est quod quidam rem sub Claudio gestam esse referant, quidam sub Nerone. Denique Gregorii Turonensis temporibus Romae iam monstrabantur « duae in lapide fossulae, super quem beati apostoli, deflexo poplite, orationem contra ipsum Simonem Magum ad Dominum effuderunt ». (*De gloria mart.*, xxviii).

118. Ceterum, quid fundamentum praebuerit legendae illi. haud facile dictu est. Sunt qui, ut legendae huic fidem faciant, provocant ad Icarum illum, quem Suetonius (*Nero*, xii) narrat coram Nerone volatum temptasse qui vero «primo statim conatu iuxta cubiculum eius decidit ipsumque cruore respersit ». Revera communis tunc erat veteratorum conatus ad volandum, unde Iuvenalis : « Graeculus esuriens in caelum, iusseris, ibit » (*Sat.*, III). Nero talibus iocis et magicis artibus libenter vacabat (*Plin. H st., Nat.* xxx; Dio Chrysost. *Or.* xxi de pulchritudine).

Sed ex hoc id tantum deduci potest ex nota illa iactantia veteratorum et magorum confictam esse legendam de Simonis volatu et ruina. Ceterum Simonem Romam venisse nullo modo incredibile est. Notandum etiam in quibusdam apocryphis Actis ruinam Simonis causam fuisse, quod Petrus, ut homicidii reus, a Nerone capite damnaretur.

### B. *De Petri fuga*

119. Vulgata est etiam legenda illa qua Petrus, fidelium precibus non sine reluctatione morem gerens, a custodibus Processo et Martiniano adiutus, ut sese gregi servaret, ex carcere aufugisse traditur. Cum iam extra portam esset, Christus ei apparuisse perhibetur, quem Petrus adorans interrogavit : *Domine, quo vadis?* Cui Christus : « Iterum venio crucifigi ».

Rem narrat praeter auctores apocryphos etiam Ambrosius, *De excidio Hieros.*, III, ii.

Legenda est antiquissima, nam Origenes (*in Ioan.*, t. XX, xii) ex Actis Pauli (πράξεις Παύλου) citat verba : ἄνωθεν μέλλω σταυροῦσθαι (iterum

paratus sum crucifigi), quin tamen statui possit qualis fuerit contextus.

120. Restat ut notetur (cfr. Benigni, *A prop. della crocif. di s. P.* ut supra) quod si praedicta fugae legenda aliquid veritatis historicae minusculum conservat, — nempe quod reapse Petrus a fidelibus suasus, neroniana persecutione Romae saeviente, Urbem reliquit ; deinde reversus (tum quia persecutionem iam debilitari putabat, tum qui necessitas romanam Ecclesiam penitus eversam restaurandi reditum Petri efflagitabat) ad martyrium deductus est – si, ergo, hoc veritatis semen in legendâ latet, certe martyrii apostolici epocha melius sub Neronis finem statui posset, et annus 67 - 8 (atque cum eo computus XXV annorum pontificalium Petri) probabilior evaderet.

## C. *De Paulo et Seneca.*

121. *Pauli cum Seneca epistolarc commercium.* — Exstant inter epistolas Senecae quattuordecim epistolae, quarum octo a Seneca ad Paulum, reliquae sex (2, 4, 6, 8, 10, 14 a Paulo ad Senecam datae esse finguntur. De quarum authentia multum hinc inde disputatum est. Commenticias esse, omnes nunc consentiunt, quippe nimia est stili differentia, quamvis falsarius enitatur ut, quae Senecae tribuuntur, puriore latinitate ornentur ; chronologia quoque saepe violatur, denique nimia est rerum sententiarumque inanitas, quae neque Paulo neque Senecae congruat. Nihilo minus fatendum est compositorem opera genuina Senecae novisse, topographiae et historiae romanae neronianorum temporum non ignarum fuisse, ac praesertim incendii urbis descriptionem prae manibus habuisse; narrat enim in eâ centum quadraginta domos et sex insulas (1) tum conflagratas esse.

Inter scriptores primus Hieronymus plus vice simplici earum mentionem facit, quin tamen earum authentiam admittat. Testatur vero eas satis diffusas fuisse. Propter hanc rationem Senecam quoque inter ecclesiasticos scriptores recenset (*De viris ill.*, xii.) sicut et Philonem, Iosephum Flavium etc., licet neutrum christianum fuisse apprime norit. Sane, ex verbis Hieronymi (*Adv. Jovinian.*, i, 49): « Scripserunt Aristoteles et Plutarchus et *noster* Seneca de matrimonio libros », non potest deduci Hieronymum putasse Senecam christianum fuisse; nam nostrum vocat, quia

(1) *Insulae*, agglomerationes plurium domorum coniunctarum.

latinus scriptor est. Semel tamen Hieronymus locum quendam harum epistolarum refert, dicens « Seneca optare se dicit eius esse loci apud suos, cuius sit Paulus apud christianos », quae conveniunt illis « Utinam qui meus, tuus apud te locus, qui tuus velim ut meus » (*ep.* 11); quae verba Augustinus quoque ex Hieronymo exscribit (*ep.* 153, 14).

In apocrypha quadam *Passione S. Pauli* Lino adscripta (1) etiam fit mentio relationum et epistolarum inter Paulum et Senecam, qui vero tantum « institutor imperatoris » non proprio nomine appellatur. Ibi hoc etiam narratur, Senecam Neroni Pauli scripta legisse. Forte compositio et redactio eius passionis Hieronymo anterior est, ita ut in ea primum testimonium epistolarii habeatur. Decretum Gelasii de libris recipiendis et respuendis nullam eius mentionem facit. Inter recentiores scriptores Fleury, qui de hoc epistolario volumen non parvum edidit, demonstrare conatus est Senecam revera fuisse Pauli auditorem epistolariumque quod Hieronymi temporibus ferebatur authenticum fuisse, nunc vero deperditum esse atque id quod hodie exstat suppositicium esse Rationes vero ab eo allatae, non suadent.

122. Quod si originem legendarii huius Pauli cum Seneca sive personali sive per scriptum commercii quaeratur, plurima occurrunt, quae legendae ansam praebere potuerunt. Ac primo, unus ex modis quibus saepissime popularis phantasia historicam veritatem depravat ea est, ut viros celebres qui eodem tempore vixerunt (ut supra diximus) familiaritate inter se usos esse confingat. Idque de Paulo et Seneca eo vel magis contingere potuit, quod Paulus non una ratione Senecam conveniendi occasionem habere potuit. Etenim, cum coram Caesare causa dicenda esset, quid magis pronum quam ut Nero fingatur aulicis hominibus, in quibus Seneca praeceptor, stipatus Paulum defendentem se audire ? Deinde praefectus praetorio adhuc erat Burrhus ille, qui una cum Seneca Neronis institutor fuerat. Insuper Gallio ille Achaiae pro consule, coram quo Paulus Corinthi a iudaeis accusatus erat (*Act.*, xviii) Senecae frater erat, ut testis est Plinius (*Hist. Nat.* xxxi, 3). Praesertim, quia Paulus Philippenses nomine eorum « qui de Caesaris domo sunt » (*Philipp.*, iv, 22) salutat, facile quis in eis et Senecam comprehensum fuisse opinari poterat.

Huc accedit, quod plurimae Senecae sententiae maximam cum doctrina Sacrae Scripturae sive Veteris sive praesertim Novi Testamenti, etiam epistolarum paulinarum affinitatem habent. Haec affinitas sententiarum

(1) Apud Lipsium, pag. 23.

neque veteres scriptores christianos latuit. Ita Tertullianus (*De an.*, xx) dicere poterat : « Seneca saepe noster »; Lactantius in libro Divinarum Institutionum saepe Senecam laudat; imo Concilium Turonense anni 567 (Labbé, *Conc.*, V, p. 856) locum ex eo citat.

Verum affinitas haec talis non est, quae necessariam dependentiam Senecae a scriptis vel doctrinis christianis arguat. Agitur enim de veritatibus quae lumine rationis naturalis assequi possunt. Deinde philosophia stoica, cui Seneca addictus erat, plurimis capitibus cum christiana doctrina cohaeret, id quod sole manifestius est. Praeterea doctrinae Iudaeorum sive morales sive de Deo inter paganos eius temporis occultae manere non poterant, non modo quia etiam Iudaei quidam scholas et declamationes habebant, (ut imp. Tiberium Suetonius Rhodi Diogenis cuiusdam Iudaei auditorem fuisse commemorat), verum multo magis quia magna pars stoicorum ex Phoenicia, Syria, Palestina aliisque regionibus quae a Semitis incoluntur oriundi erant. Igitur non tantum innatum eorum mentis ingenium cum iudaeis ac proinde christianis multo affinius et congener fuit, sed etiam multo magis influxui directo doctrinarum iudaicarum patebat. Seneca ipse Cordubae in urbe punica ortus est, ipsumque nomen semiticum esse videtur, nam inter episcopos hierosolymitanos. Eusebius (*H. E.*, IV, v) Σενεχᾶν quendam recenset (1).

123. Haec omnia satis superque sunt ad explicandam sententiarum affinitatem, quae maior apud nullum alium scriptorum ethnicum invenitur. Haec deinde affinitas una cum aliis rationibus temporis, loci, hominum, rerum occasionem praebuerunt cuidam quarti saeculi scriptori ad epistolarium fingendum.

## XI. **Notae bibliographicae**

### Generalia

Hergenroether card. I., *Handbuch der allgemeine Kirchengeschichte;* 5. Aufl. neu bearb. von Dr. I. P. Kirsch (Freiburg i. B. 1902), I. Bd. (Italica versio : *Storia univ. della Chiesa* (Firenze 1904, vol. I)

Iungmann p. B., *Dissertationes selectae in hist. eccles.* (Ratisbonae 1880) vol. I.

(1) In his secuti sumus Lightfoot, *Saint Pauls epistle to the Philippians.*

Duchesne L., *Histoire ancienne de l' Eglise* (Paris 1906) vol. I.

Benigni U., *Storia sociale della Chiesa* (Milano 1907) vol. I.

**Peculiaria.**

Duchesne L., *Le Liber Pontificalis* (Paris ) vol I.

Profumo A., *Le fonti e i tempi dell' incendio neroniano* (Roma 1906).

Lecler, *De romano s. Petri episcopatu* (Lovanii 1888).

Esser W., *Des hl. Petrus Aufenthalt, Episkopat, Tod in Rom* (Breslau 1889).

Schmid I., *Petrus in Rom oder novae vindiciae petrinae* (Luzern 1892).

Marucchi O., varia opera archaeol. necnon dissertationes in « Nuovo Bullettino d' archeologia cristiana » Romae edito, — passim.

Baxmann, *Dass die Apostel Petrus und Paulus nicht am 29 Juni 67 gemartert sind* (Gütersloh 1867).

Lipsius R. A., *Die Quellen der römischen Petrussage* (Kiel 1872 .

idem, *Die apokryphen Apostelgeschichten und Apostellegenden* (Braunschweig 1883)

Fleury A., *St Paul et Sénèque* (Paris 1853).

Aubertin C., *Etude critique sur les rapports supposés entre Sénèque et St. Paul.* (Paris 1857 — contra Fleury qui Senecam Pauli discipulum demonstrare conatus est).

Kraus, *Der Briefwechsel Pauli mit Seneca,* in « Theolog. Quartalschrift » 1867, p. 601.

Baur, *Seneca und Paulus,* (in « Drei Abhandlungen etc. » ed. Zeller) 1876.

Conferendi etiam Commentatores in *Actus Apostolorum* et *Pauli epistolas.*

23101